



507.

10 VI

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA  
DE  
CALETENSI PACIFICATIONE  
ANNI MDXXI.

1762,3.

QVAM  
SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
GEORGIO FRIDERICO MEIER,  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI,  
ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. EX-DECANO  
SPECTATISSIMO,  
PRAECEPTORE OPTIMO, PATRONO AETERNVM COLENDO,  
PRO  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS SOLEMNI RITV ACCEPTANDIS  
IN AVDITORIO PVBLICO,  
AD D. XVI. MART. ANNO MDCCLXII.  
DEFENDET  
AVCTOR  
GEORGIVS CHRISTIANVS SEELAND  
E POMERANIA COLBERGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
GALILEI'S FACIFICATIONE  
ANNO MDLXXI

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO  
V I R O  
IOANNI ANDREAE DE SEGNER,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI CELEBERRIMO  
HVIVSQVE ET  
MATHESIOS ATQVE VNIVERSAE ADEO FRIDERICIANAE,  
QVAE HALAE FLORET ACADEMIAE  
PROFESSORI PRIMARIO,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILHS INTIMIS,  
SOCIETATIS IMPERATORIAE PETROPOLITANAE, REGIARVMQVE  
BEROLINENSIS, LONDINENSIS ET GÖTTINGENSIS  
SODALI SPECTATISSIMO,

DOMINO SVO AC MAECENATI  
RELIGIOSISSIMO MENTIS CVLTV PROSEQVENDO

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

A V C T O R

GEORG. CHRISTIAN. SEELAND.

PRILLVSTRIS ET GNEROSISSIMO  
 V. R. O.  
 JOANNI ANDREA DE SEGNER  
 MATHIOSI ADOE PRIDICIAIAE  
 QUAE HATAE TIBET ACADEMIAE  
 PROFESSORI PRIMARIO  
 POTENTISSIMO BORISSORVM REGI A CONSULE FATIMIS  
 SOCIETATIS IMPERATORIS PRINCEPS ONITAE, REGIMANQVE  
 SACROSANCTISSIMO CONSENSUS ET COLLIGENSIS  
 SOCIETATIS SACROSANCTISSIMO



Nouum hoc de Caletensi pacificatione  
 opusculum ad TVAM VIR PER-  
 ILLVSTRIS! exhortationem ma-  
 xima ex parte elaboratum, eodem  
 iure, quo me Parentem, TE sibi Patronum vendi-  
 cat: Vt enim ante multum tempus TE aggre-  
 di occasio mihi fuerat data, meorum conatum ad-  
 umbra-



umbrationem adeo non reiecisti, vt me in fauorem  
etiam TVVM receperis. Ex illo tempore, quot me  
secutae sunt res de quibus mihi quodammodo licet  
gloriar! TE enim, dum in eorum, qui apud TE sunt  
in gratia, numero essem, habui exemplum tantae  
humanitatis, vt qui dignitate summos aequas in hac  
nostra Academia, facilitate nemini secundus esse vi-  
dearis: TE maximae innocentiae modestiaeque, non  
in factis tantum, sed & in dictis: TE benigni atque  
auxiliiarii: TE tam incredibilis & prope singularis  
diligentiae in omnibus summi TVI muneris partibus  
sustinendis, vt publicae saluti vigilanter potius, quam  
TVAE sollicitate, consulere viderere. TECUM mihi  
inter alia de rebus historicis dulcissima fuere collo-  
quia, neque enim, tot licet laboribus implicatus,  
tam in recondita illa multiplicique Mathematicorum  
arte illustranda, quam omni natura perscrutanda oc-  
cupatus, ab aliis studiis doctrinisque refugisti, aut in  
iis, vt historia, praesertim ea, quae Philosophorum  
fata enarrat, peregrinum TE & hospitem esse volui-

si. Quantum quidem memoria repetere possum  
praeterita, memini, & iuvat meminisse, quanta cum  
delectatione TE audierim viderimque proferentem  
vel ea, quae in subsidiis, ad historiae illustrationem  
plurimum facientibus, legendis & diiudicandis no-  
tasses, vel ea, quae ex ipsa historia profecisses, vel ea,  
quae subseciuis horis ex omnibus iis, quae bonarum  
& amoenarum artium nomine veniunt, hausisses do-  
ctrinis. TIBI semper nihil eruditionis satis visum  
est, cui aliquid adhuc addi posset; illa igitur om-  
nia ita propria TVA fecisti, vt quacunq; de arte fer-  
monem haberes eruditissimum, videri posses non in-  
erterem atque ingloriam vitam egisse, si nihil aliud sci-  
res. Haec testis loquor, haec gratus omnes recor-  
dari volo. De ceteris TVIS, iisdemque eximiis vir-  
tutibus, quae in conspectu omnium posita sunt, quas-  
que ad res academicas subleuandas affers, mihi pro-  
fus tacendum esse censeo: summa enim cum laude,  
minima cum inuidia octauum iam annum agens Ma-  
thematicae professioni, vt Academiae primarius,  
praees:




praees: norunt iam omnes, qualis in cathedris do-  
ctor, qualis in Academico senatu Primarius emineas;  
quali doctrina, quali acumine, iis, qui quaerunt adiu-  
menta doctrinae, rerum notitiam aperire possis:  
quam nullum eruditi laboris genus refugias, & ta-  
men, quam semper vacuo animo esse videaris. Mea  
vox hic publicae voci cedat necesse est, ne in tanto  
honorum plausu, consensuque ego id solus cupere  
videar, quod omnes sibi iure celebrandum putant:  
officium potius expleo, vt gratias TIBI referam quam  
maximas, ob ea beneuoli animi indicia, quae TV  
mihi saepissime ostendisti. Nihil vero magis postu-  
lat, vt gratum me praestem, quam nuperrima illa ite-  
rataque promissio, commoda mea, quomodocunque  
fieri possit, promouendi. Vereor interea, vt omnem  
expectationem ac spem, quam quidem de me conce-  
pisti, expleam: sed fixum animo meo & immotum  
sedet, ne quid refugiam, quod possint aut vires meae,  
aut naturae, quam sint exiguae dotes: vt Superio-  
rum, Ciuium, Reipublicae denique Litterariae com-  
modis



modis seruiam, me dedam: Sic & TIBI & officio  
meo satisfaciam, sic ex animo & TVO & meo vitae  
cursum instituam. Interim placido, id est, quotidia-  
no TVO vultu has studiorum meorum primitias TI-  
BI intrepide offerri patiaris. Si quae vitia detegas,  
ea notes, meumque iudicium saniori TVO iudicio,  
quasi norma, dirigas: hoc facto magnopere delecta-  
bor; cum enim in elaborando primum sit, vt quis  
optimorum iudicum puncta tulisse se sciat, proxi-  
mum est, vt optimi illi viri, vbi quid reiiciunt, af-  
ferant, quare non probetur, & quomodo conforma-  
ri & emendari debeat. Permittas mihi, VIR PER-  
ILLVSTRIS! vt hanc de TE spem & confidentiam  
me habere adfirmem, ne quid TVAE beneuolen-  
tiae, quam mihi omnem conciliare allaboro, genus  
mihi deesse videatur, quem tot sincerissimae men-  
tis iudiciis iamdudum effeceris TVI obseruantissi-  
mum, TIBIQUE deuinctissimum. Halae d. x. Mart.  
Ann. MDCLXII.

CVM



CVM DEO!



Specimen inaugurale quoddam, vt dicunt, elaboraturo mihi, sese obtulit Caletensis pacificatio, haud vltro, sed dum inquirerem in res gestas Caroli Vii. Namque animus erat easdem quidem illustrandas sumere, at campus mihi sese aperuit, qualis rerum vbertate nullius fere imperatoris longius & latius diffusiditur: quare ab hoc quidem consilio desistebam, siquidem intelligebam, me ob rerum abundantiam temporisque angustias haud sane multum esse profecturum. Easdem in infinita quasi dispertiri incipiebam, & cogitabam, quidquid partium esset, quod illustratione indigeret, communis commodi studiosus. Huc illuc trahebar his cogitationibus, donec descenderim ad ea quae elegi. Candide vero profiteor haud nostram pertractationem tantum praestare communem omnium vsum, quantum sectatus fuerim, dum in merum abiit

A

περίβλη-

*περίληξις* historicum, cuius explicatio sequentia in tractatione excipit, quod tamen omnino non supervacuum est, vel usum nullum habet, prout quidam contendere haud dubitarunt, qui Angliae imprimis priuatum commodum in eo deprehenderint nullum. *Περίληξις* nomine salutamus nostram tractationem, verbo, e mathematicorum scholis perito; non sumus tamen ita vani, ut mathematicae virtutis quid exinde conclusum cupiamus, perbene scientes longe aliam eiusmodi rerum esse faciem. Haec causa est, cur non possim non confiteri, nihil inesse mathematici, quod abhorret cum omni abstractione ab instituto tali. Si quid certi est, historicum est, & sane essem contemnendus, quodocunq; mera fallacia natus, illud mihi arrogandum fuissem, dum in historia satis est illud *αὐτὸς ἴδιος* rite munitum. Hoc cognito, quam ego in aliorum enarrationibus ac iudiciis diiudicandis mihi sumsi libertatem, eandem, in quam, sibi in meis diiudicandis sumant, omnes eos oro atque obtestor, quorum in manus haec nostra elaboratio incidet. Non illi certe promitius me monebunt peccantem, quam ego monentes sequar. Quis est qui nihil offendat? nusquam incurrat? & iam nunc adeo, si quid hic vlli auctori, si quid certae cognitioni, si quid aliorum, qui eruditiores sunt, consensui, si quid vlli veritati non satis consentaneum a me dictum est, id nec dictum esto. In toto opusculo haec maxime mihi proposui, ut disceptationum, de quibus sermo est, & omnium rerum huc pertinentium rationes redderem quam maxime evidentes, & ut quae erant tractanda ordine certo disponerem, & ut quae connexa inter se videri poterant, nec erant, perspicue distinguerem. Deinde, quam

quam viam tenendam arbitrabar, re ipsa potius quam verbis ostendi, in hoc opusculo: quoniam quum id ipsum sit ad cognoscendum ita breue, vt ordo rerum & modus tractandi ab vnoquoque quam facillime cognosci possit, superuacuum omnino foret de eo separatim dicere.

§. I.



Principum in Europa potentissimorum & maximorum, quorum circa annum MDXXI. omnes admirabantur maiestatem, quilibet sub istius anni initia de pacis diuturnitate spem praecidebat ciuibus. Nemo eorum tantus erat, vt ab eo pependisset Europae discrimen & quies, quam vnicus fortassis CAROLVS Vtus. Hicce etsi ob incredibilem fere & accrescentem adhuc magnitudinem & potentiam quidquam efficere potuisset, Imperator tamen erat commodis suis intentus, quique omnem fortunam tentabat; id quod impediabat, quo minus aliis sua tuto relinqueret: quippe quidum semper agebat aliquid & moliebatur, eo ipso abducebatur a rebus eiusmodi gerendis, quibus regna, vel vi olim occupata, vel haereditate accepta possidentibus concederet pace. Galliae contra Rex FRANCISCVS I. aemulatione quadam accensus, Carolum quomodo sedibus exuere posset, omnes omni modo impendebat curas, quo damnum, quod electo se in Romanorum Regem, contraxerat, refarciretur; quanquam vi in Europaeis dispertire erat destitutus. Hanc vero aemulationem summam & praecipuam omnium fuisse bellorum,

A 2

circa

circa hoc quidem tempus, causam, neminem habebimus dubitantem, quicumque memoria tener ablegationes istas principum, vel ipsis e fontibus praeferrim, compendii ergo e SLEIDANO in *Commentariis de statu religionis & reipublicae* & *Libro quidem primo* intellexit, quinam hoc tempore fuerint imperii candidari. In Anglia quod attinet HENRICVM VIII. tamen si is ad voluntatem nuntumque arrogantis ac eiusmodi purpurati, cuius mens nihil praeter priuatum commodum videbat, VOLSEII puta, se totum conuertere noluisse, tamen ne imperatoris quidem fortunam terminare valebat. LEO tandem X, Papa quidem, ille magna tentandi animo ac voluntate gaudebat. Non nostri instituti est omnes recensere, quae circa hoc tempus subortae sunt, tempestates, quaeque inter hos principes gestae fuerint disceptationes & bella, quae foedera illi pepigerint, ceteraque, in ea potissimum inquisituri, quae Caleti acciderint, quaeque ad pacificationem pertinent. Eandem vero quae tangunt, cum nulla dilucidari ac intelligi possint absque commemoratione nonnullorum belli euentuum, in tempora pacificationis ipsa quasi incidentium, eorumque, qui fundamenta transactionis ipsius sunt, motuum, ii describantur quoque necesse est.

Rationes motuum, quas duximus in spho, semina sunt & prima eorum stamina, proprias vero & proximas infra proponam, dum ad ipsa pacis propositio- num contenta delatus fuero. MARTIN du BELLAY eadem faciendo praeter generaliora quaedam, quae affert, culpam omnem, dum propius ad rem accedit, a rege in ROBERTVM de la MARCK referendam putat. Nimum longus est in hac remouenda a rege, quod rectissime factum

Etum esse a se nemini persuaderebit, qui cogitat, Robertum inuito rege in eiusdem terris homines conscribere non potuisse. Verba huc potissimum spectantia, legimus *Memorabilium* libro primo p. XXII, seq. hoc modo:

OR, Messieurs, pour Vous faire entendre la source & origine de la guerre d'entre deux si grands Princes, q' l'Empereur & le Roy, par laquelle sont advenues tant d'everfions de villes, oppressions de peuples, ruines de Provinces & la mort de tant de gens de bien, & de vertu, je le vous diray sommairement, & iugerez par adventure que le commencement fut pour peu d'occasion: mais Dieu, qui est là hault, l'avoit (comme i estime) ainsi deliberé, soit pour punir les pechez de subiets & les attirer à le recôgnoistre, ou se vanger des grands de la terre, qui peu souuent le recôgnoissent, comme ils doiuent. Et l'on a maintesfois veu tant de nostre temps que du passé, d'une petite estincelle s'allumer un grand feu, d'autant qu'il n'est rien plus facile que de provoquer les Princes les uns contre les autres: puis quand ils sont une fois esbranlez, il est merueilleusement difficile de les arrester. Et en c'est endroit, veu que de messire Robert de la Marck est sorty le commencement de leurs differends, il ne fera pas impertinent de laissér couler un mot en passant des causes qui alienerent son coeur de la part Imperiale, veu que depuis peu de temps il l'avoit suivie si affectionnément que rien plus: par ainsi il sera aisé à juger lequel desdits deux Princes premier a rompu les conditions de la paix. &c. Quibus plura de Roberto subiungit: Addamus verba *GVICCIARDINI* libro XIII. *Histor. Itali* pag. 292. dicentis: Neque vlti dubium erat, quin inter duos principes iuuenes (Carolum & Franciscum puta) & inter quos multae erant aemulationis ac controuersiarum causae,

causae, tandem grauissimum bellum esset exoriturum. En! aemulationem animaduertit curiosus, in sequentibus profequitur singulas controuersias.

## §. II.

Quae sunt bella, quae sunt disceptationes paulo ante hanc transactionem lubortae, aliae, nisi Hispanicae, Belgicae, Italicae? Ventum est ad arma & primum quidem in finibus Hispaniae, Nauarraeque regno, in quod destitutum, occasione motuum in Hispania, omnibus militibus, irruptionem quam primum ab Martii initiis fecerant Galli. Franciscus I. hac hostem vincendi occasione utebatur, quam motus ciuiles fecerant, dum pulso Nauarrae rege, HENRICO ALBRETANO, quem simul patrem colunt omnes in Gallia reges e Borbonia stirpe, maximo in iis turbis esset vsui, adquam rem semet obstrictum & obligatum putabat ob Nouiodunensem transactionem, die XXVI. Augusti Anno MDXX. peractam, vt potiretur Henricus hoc regno, quod ipsi per Arragonicum & Neapolitanum regem FERDINANDVM Catholicum fuerat ereptum. At haud diu illud in possessione sua retinebat Gallorum exercitus, ob inexhaustam & inopportunam, omnia sub iugum redigendi, ducis sui auiditatem: quam si hic inhibuisset, ne ansam quidem dedisset Hadriano, Hispaniae Proregi, Carolo conferuandi sua. Apud Belgas, vt nonnulli praefantur, bellum suafore Gallo fuit motum, cui certe ea, quae acciderunt inter Carolum & ROBERTVM de la MARK, Sedanensem Principem ac Dominum de BOUILLON, quoniam se rei huic, omnino ad se pertinenti (vt euentus nos docet) immiscuerat, adscribantur; quaeque Roberto, Imperatorem, tunc temporis in comitiis, Wormaciae quae celebra-

ban-



bantur, praesentem, temere prouocante, vocabatur in controuersiam primum, deinceps vero erumpebat in bellum magnum & graue. Bellum ex bello ierebant; ad illa accedebat in Italia illud, ad cuius cogitationem sese recipiebant principes, cum Imperator ac Papa, conuentionis lege, FRANCISCVM SFORTIAM Mediolani Ducem, in suum restituere ducatum, eundemque ipsi restituere auspicarentur. Verum quidem est, quod haec res Mediolanensis sub anni demum finem fuerit quasi renouata ac coaluerit, at foedere tamen, vt diximus, quod inter se iunxerant, iam ab anni initis erat decreta, occulte gerebatur, & radices interea agebat tam altos, vt nil nisi executio superesse videretur.

De motibus illis in Hispania ciuilibus conferri meretur, FERRERASIVS *Historiae Hispanicae* Tom. VIII. p. m. 550. Nouiodunensem vero transactionem exhibet *Recueil des Traités de Paix par Léonard* Tom. II; praecipua capita ad haec redeunt; Carolus Ludouicam, Galliae Regis filiam Principem natu maiorem, matrimonio sibi iungere, mille auri pondo ipsi jus suum in Regnum Neapolitanum persequenti, soluere, atque sex mensium spatio Nauarrae regnum iam dicto Henrico Albretano redere debebat. Quae tamen omnia respuebat Imperator, dicens, Regem suae in Hispaniam necessariae protectionis occasione immoderate vsu, teste GVICCIARDINO l. c. De rebus quae gerebantur, in Belgia, quantum quidem huc spectant, BELLAIVS loquitur supra laudatus; de rebus vero Italicis vnicum SLEIDANI locum sistere sufficiat, Lib. III. pag. m. 69. *Tenebant tum Galli Parmam & Placentiam, id permoleste grauiterque Leo Pontifex ferebat: cuique nuper etiam tentassent Rbergium*

gium Lepidi proorsus animum ab illis auertit & foedus cum Caesare fecit, cuius haec erant capita praecipua, ut ecclesiae Romanae dignitas defendatur, ut quae Galli nuper illi ademerant recuperentur, ut Franciscus Sfortia, tum exul, in paternum solum restituatur & principatum Mediolanensem. Coniunctis ergo viribus Parmam & Placentiam Gallis eripiunt, & Mediolanum urbem capiunt, & hostem ex Insubria, quam totos iam sex annos ille tenebat, depellunt, & Sfortiam deinde restitunt, administrantibus bellum Prospero Columna, Ferdinando Dquale Piscario. Conf. adhuc BELCARIVM *Rerum Gallicarum Commentariis* Libr. XVI. Apud GRAEVIVM vero Tom. II. *Thesauri Antiquit. & Histor. Italiae &c.* coll. 1254. est GALEACII CAPELLAE de hoc bello Mediolanensi commentatio singularis.

§. III.

Omnes, ut breui dicam, fidem cupiebant fractam: Gallus subolebat id, quod Imperator machinaretur, vnde nam enim horribiles belli apparatus, quibus omnia strepebant in Imperatoriis Regnis? quare Imperator diligentissime parabat bellum? & cum debiles essent Roberti vires, cui minari bellum videbatur Imperator, nonne Franciscus I. potius erat obiectum inimicitarum ac belli? quare semet omnino contemibilem reddidisset Gallus, nisi omnibus viribus huic apparatusi se bellico opposuisset, vel quantum quidem poterat, omnia in bellum & defensionem consilia conuertisset. Interim Anglo insciente hostes aggredi non poterat. Liga enim Londinensis defensiva fortem socium ac defensorem in Henrico VIII. fecerat Imperatori. Praeterquam quod iam admonuerat Henricus Gallum, ut ab ipsis inimicitiis absti-

abstineret, quae quidem admonitio tantum valebat apud Gallum, vt huius consilio obsecutus partes Roberti defereret, quo periculum, quod sibi immineret, auerteretur. Post haec Angliae Regi Henrico VIII. proponi curabat, cum vndiquaque angustiis premeretur, fieri non posse, quin ad arma se conuerteret, tum ad Imperatorem ad alias deferendum cogitationes, tum eidem sese rite praeparatum opponendum, quippe qui quomodo ipsum aggredereetur atque armata vi de regno sedibusque suis deiceret, omni modo niteretur. Henricus respondebat, se neuius partes, in hac quidem re, esse sequenturum, velle vero se tanquam vtriusque communis amicus sub arbitri nomine & auctoritate has lites componendas sibi sumere. Addebat, quandoquidem vtriusque, tam Imperatoris quam Regis esset, legatos ablegare, plena potentia instructos, idque fieri deberet sub initium & quarto quidem die Augusti, se ipsum velle Calerum, qui locus erat ad hoc negotium propositus, mittere Cardinalem Volscium, a consiliis sibi summum. Carolus V. hanc propositionem iustam probatamque declarabat perbene sciens, rem suam pro voto esse actam, dum Cardinalem iamdudum innumerabilibus promissionibus in suas partes traxisset, eundemque amicum amplecteretur sibi dilectissimum. Galliae Rex, qui varias ob causas, multa de Angli iniuria quaeri potuisset, haesitabat de consiliis eius, quae benevolentiam praese ferre videbantur, sed eadem fere, qua ex Historicorum in Gallia numero quidam, tenebatur ignorantia, quippe qui nesciebant Cardinalem Volscium iamdudum pecunia & donationibus vt & promissionibus corruptum, semet adiunxisse Imperatori, cui se totum tradi-

B

derat.

derat. Hinc ab utraque parte ad pacis condiciones accedebant, ita quidem, ut partium utrarumque, cum Papali Nuncio, Legati quibus Cardinalis accedebat ex Anglia sub nomine mediatoris, ad IV. Augusti adessent eo in loco, quem Henricus huic destinarat transactioni.

*Observatio.* Haec, ut taceam scriptores iam citatos, optime disci & intelligi possunt, ex iis, quae apud THOMAM RYMERVM collectione Actorum Publicorum Tom. Xlii. existant p. 748. *De Querelis, inter Reges Francorum & Castellae, ad Arbitrium Regis, (Henrici VIII.) Terminandis.* Litterae sunt Francisci, quas ex Autographo habes.

FRANCISCVS, *Dei Gratia*, FRANCORVM REX, MEDIOLANI DVX, & GENVAE DOMINVS *uniuersis, praesentes Litteras inspecluris*, NOTVM SIT ET MANIFESTVM quodd,

Cum nonnulli *Tractatus Pacis Amicitiae & Confederationis iam pridem fuerint initi & percussi inter nos ex una Parte & Illustrissimum Principem CAROLVM CASTELLAE REGEM Fratrem & Consanguineum nostrum ex alia,*

Qui *Tractatus in plurimis eorum Capitibus minimè ab eo (sc. Caesare) observati fuerint, Nosque, illis non obstantibus, Scripto, deinde, Facto & Armis, Patrias nostras & terras hostiliter Discurrendo Arcemque de Messancourt (quae de Feudo nostro movetur) Obsidendo & solo tenui Aquando, propulsaverit ac provocaverit, non sine gravi Re- rum nostrarum Iactura,*

*Defensione Regni nostri Statuimque nostrorum, impulsivimus cum maximis Oneribus & Expensis Excercitum non modicum comparare, non tamen sine gravi animi nostri molestia, Quapropter, pro Tutitione &*

Quod

Quod iuuenens Illustrissimus REX ANGLIAE, Cavissimus Consanguineus & Frater noster, Pacis Zelator & Mediator, tanquam communis Confederatus & Amicus, Nos crebro, non modo Literis officuosissimis, sed etiam per Oratores suos, ad Pacem & Amicitiam ineundam cum dicto CASTELLAE REGE, Strepitu Armorum & omni Bello postpositis, hortatus fuerit,

Nos vero, qui semper Pacis Amator fuimus, intuituque illius, praedictos Tractatus percussimus, ne Sanguis Cbrisianus effunderetur, Morémque praedicto Curissimo ac Diligentissimo Consanguineo ac Fratri nostro Regi Angliae gerere cupientes, sua salubria Pacis Hortamenta recusare minime decrevimus, & pro illa firma Amicitia & maxima Benevolentia, quam ergo illum gerimus, & interuentu & contemplatione eiusdem summoperè optamus ac volumus, & per Praesentes consentimus, sub Fide nostrâ & in Verbo Regis, quòd in LOCO CALISII, eo Mediatore, aut aliquo suo Locum tenente, per Eum diligendo & auditis Oratoribus nostris ac praefati Castellae Regis supra Contraventionibus iam dictorum Tractatum ab utroque nostrum, praetensis, Reparationes condignae, tam super ipsis Contraventionibus quam Iniuriis Factoris & Expenfis, ob Causam illorum factis, amicabiliter fiant ac componentur, modo & formâ quibus latius inferiùs dicitur,

Dictique Tractatus de nouo firmentur, & talibus Vinculis fulciantur, ut in futurum cum illâ quâ decet sinceritate, omni dolo & fraude cessantibus, firmiter seruentur & custodiantur;

Si igitur iam dictus CASTELLAE REX ad dictam Pacem & Amicitiam ineundam, modis & formis, quibus infra, Assensum praebuerit, Oratorésque suos apud Calisium

*Vigesimâ quintâ Die praesentis Mensis Iulii ad praedictos effectus destinare voluerit, Nos pariter ad praedictum locum & Diem Oratores nostros Munimentis necessariis fultos mittemus,*

*Qui respectivè coram Locumtenente, quem ad dictum Locum ad praedictos Fines Carissimus Consanguineus ac Frater noster missurus est, proponent & deducunt, quae eis videbuntur deducenda & proponenda, super iam dictis Contraventionibus Iacturis & Expensis, ad fines ut aequa & iusta reparatio fiat.*

*Quibus auditis, dictus Locumtenens per Communicationes & Exortationes amicabiliter iam dictas Controversias componet (consensu Oratorum nostrorum interueniente, & Beneplacito SUMMI PONTIFICIS,) quae Res Nobis qui Pacem cum Principibus finitimis & Consanguineis nostris optamus Sanguinisque effusionem euitare cupimus, perquam grata erit,*

*Cum verò iam dictus Carissimus FRATER ET CONSANGVINEVS NOSTER, praedictae Pacis inuendae Actor & Inceptor fuerit, desideramus, supra quam dici potest, ut illi gratificemur, quòd sua dexteritate & ingenio modo & forma, quibus supra huic Sanctissimo Operi finis impatur.*

*Caeterùm cum Ratio suadeat quòd omnis Armorum Motus ac Insultus durante Communicatione super praedicto Pacis Tractatu fienda cesset, Nos, contemplatione iam dicti Fratris nostri REGIS ANGLIAE, volumus & consentimus, tam Nomine nostro quàm Illustrissimi REGIS NAVARRAE, Carissimi Consanguinei ac Fratris nostri, & Domini de Sedam, Roberti de la Mark, Consanguinei nec non Militis Ordinis nostri pro & nomine quorum Promitti.*

mittimus, quod Contenta in praesentibus Literis Abstinentiae Belli habebunt grata rata & firma, quod a dicta Vigesima quinta Die praesentis Mensis Iulii usque ad Sex Septimanas immediate sequentes, quarum Ebdomadaram finis erit Die nona Septembris inclusa, sit Abstinentia Belli inter nos dictum Regem Navarrae & Robertum de la Mark & iam dictum Castellae Regem,

Et quod uterque nostrum simul ex nunc destinet Caduceatores seu Nuncios apud Exercitus nostros & alibi ubi opus erit, ad significandam seu publicandam dictam Belli Abstinentiam, Diesque de communi Consensu constituantur, qua dicta Significatio seu Publicatio fiet.

Qua Significatione seu Publicatione facta, promittimus, sub Fide nostra & in Verbo Regis, pro & NOMINE NOSTRO & dictorum REGIS NAVARRAE, & ROBERTI de la MARK, quod nos, ac praesati REX NAVARRAE & ROBERTVS, de la MARK, Armigeri & Subditi nostri, sincerè, omni dolo & fraude postpositis, cessabimus & abstinēbimus ab omni Offenso & Bello, durante dicto tempore, aduersus REGEM CASTELLAE praedictum Armigeros Subditos & Patrias suas; Prouiso quod dictus REX CASTELLAE Armigeri & Subditi sui non prouocabunt nec insultabunt nos, dictum REGEM NAVARRAE & ROBERTVM de la MARK, Armigeros & Subditos nostros, Patriasque nostras que (I quae) nunc possidemus,

Et quod durante praedicta, Abstinentia Belli, Res utriusque nostrum erunt & stabunt in Statu in quo nunc sunt, absque eo quod aliquid in contrarium attemptetur aut inouetur.

In quorum Fidem & Testimonium praesentibus Literis Manu nostra signatis, Sigillum nostrum apponi iussimus.

*Datum Aegiliaci, Die Primâ Mensis Julii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo, primo & Regni nostri Septimo.*

FRANCOYS  
Per Regem,  
ROBERTET.

*Observatio.* Nobis nullus praeter Nouiodunensem innotuit Tractatus, de quo iam supra diximus, nisi Nauarraei Articuli, qui illius occasione tantum innouati sunt. Mellancourt, hodie Mezieres, Maceriae, oppidum in Insula Mosae, quod propugnaculum habet. Hoc 1521 anno, Caroli Vti exercitu, duce Henrico Nassouiense Comite circumsidebatur, qui dux ignibus bellicis iniectis oppidum in cineres pene redigebat. Verba parenthesi inclusa, idem inuoluunt ac si dixisset (quam arcem dicunt non nostram esse, sed Roberti,) id quod nos docet illa responsio, quam Nassouiensis Comes dederat huius vrbis & arcis praefecto, quaeque haec est. P. Daniel. Tom. X. pag. 22. *H. G. Ce Général lui fit réponse qu'il n'étoit point campi sur les terres du Roi, mais sur celés de Robert de la Mark.* Quae de reparatione dicuntur, respiciunt ad ea, quae in Nouiodunensi Tractatu sunt conclusa, ad easque impensas, quas fecerat Gallus, iis vi armorum obtinendis. Abstinentia vero belli, nulla fuit obseruata, prout apparet ex iis belli operationibus, quae durante pacificatione nostra contigerunt.

§. IV.

Hinc ab vtraque parte ad pacis conditiones accedebant, ita quidem vt partium vtrarumque legati, prout diximus, cum Papali Nuncio & Eboracensi Cardinali adessent IV. Augusti, haud vero illo die quem proposuerat



literat sibi destinaretque huic congressui Gallus in iis Literis, quas Spho praec. adiecit, Caleti. Rex Galliae destinaret ablegaretque Cancellarium du Prat, Summum Praesidem Iohann de Selue, Marechallum denique de Chabanne pacificatores. Imperatoris locum vicarius obtinebat Gattinara Cancellarius. Maximus denique in eam ipsam pacificationem se interponebat Pontifex. Asculi in Italia Episcopus, qui tum temporis erat Hieronymus Ginutius, Nuncii locum obtinebat Caleti. Sunt, qui dicant, utrumque Oratorem videlicet Papae ac Imperatoris haud summa fuisse cum auctoritate: quo ipso, omnia quaecunque de Gallorum pernicie cogitantes molirentur, in obscuritate & silentio posita fuisse, quam facillime elicitur: at saluo hoc concluso, id assertum ne satis quidem stabilitis firmitatis nectitur & ipsis testibus fide maioribus refellitur, ceterum nullam rationem necessariam video, quare ipsos plena priuasent potentia. Volscium interea Purpuratum, cuius dicta ut ipsius Angliae Regis decreta omnes venerabantur, ob id, & nullam aliam singularemque virtutem, ut vnicum amplectebantur arbitrium, hocque summo dignabantur honore: quanquam tanti momenti res & perdifficilis profecto longe alium, eumque sincerissimum desiderari videbatur. Galliae nutabat in iis disceptationibus victoria, quia rebus sic stantibus & fortuna ita incerta teneri quidem non poterat. Omnia, quae hoc tempore peracta sunt, quaeque vsui essent ad defendenda sua, haud succedebant ex sententia. Quin inimo Patris Danielis error, quo tenebatur, Volscium pura a sententia non discessisse Gallica, & ratio auctoritatis & existimationis quam pro hac re adducit autore *Polydoro Vergilio, Henrico suo*

*fuo VIII. vel libro XXVII. Historiae Angliae*, tam leuis est, vt nulla operosa refutatione indigeat. Quis enim sibi hoc persuadebit, qui Volseium Imperatori male quidem & occulte addictissimum nouit? id quod Bruggensis abunde declarat conuentio, post haec transfumta. Cinutius, papalis nuncius, nihil sequebatur nisi Domini sui sententiam. Nihil illi accepit, quam vt principes perseverarent in bello. Simulabat quidem libertatem ab omni partium studio, & quare? Licebatne ei, publice confiteri, semet Imperatori studere, nisi vellet vt ipsarum conuentus legum ruptor & commodi publici morator considerari vituperarique? Caesaris vero Cancellarius Gattinara, & Nuncius iam dictus consentiebant inter se, ac nullam, nisi ipsi Dominisque suis pacem honestissimam admittere cogitabant. Volseius, summus ille plenipotentarius Angliae Regis, qui certo sciebat, rem omnem esse inclinatam, & operam adhuc, quomodo omnem pacem peruerteret, dabat, in colloquium tamen venire iubebat legatos: prout *Petrus Martyr Angleria* Epist. 740. habet.

Memoires de Messire Martin du Bellay, lib. I. pag. 28.  
*Pendant ce temps, le Comte de Nassau avoit fait tresues avecques ceux de la Mareck, & n'estoit encores la guerre denoncée entre le Roy & l'Empereur: mais apres la prinse de S. Amand & de Montaigne: combien que l'Empereur n'ast que ce fust par son commandement & adveu, mais que c'estoit querelles particuliere, entre mondit seigneur le Cardinal de Bourbon & le seigneur de Liques: le Roy ne se voulant laisser abuser, ne voulut faillir à diligenter de se preparer à la deffence, tenant la guerre pour declarée. Le temps s'approchoit que les Ambassadeurs se devoient assembler*

Men à Calais, où furent ordonnez pour la part du Roy Antoine du Prat Chancelier de France, & Jean de Selva pour gens de robbe longue, & Jacques de Chabannes Marechal de France pour robbe courte. &c. Adde Angleriam Epist. 740. Petri Gabriel Danielis verba, Tom. X. Histoire de France, hæc sunt pag. 53. Il étoit difficile que la chose tournât à l'avantage du Roy. A la vérité le Cardinal de Volsi soubaitoit l'accommodement, qui pouvoit lui attirer de la considération à la Cour des deux Rois; au lieu que si la guerre continuoit, il perdoit les bonnes grâces de l'un des deux, l'Angleterre ne pouvant guères se dispenser de prendre parti pour l'un contre l'autre: mais le Nonce agissant conformément aux intentions du Pape, pensoit à fomentier la guerre, en affectant seulement les apparences de neutralité. Car dans le tems que cette Assemblée se tenoit, il ne s'étoit pas encore ouertement déclaré pour l'Empereur. Pour ce qui est de Gatinara, il étoit dans les mêmes sentimens qui le Nonce, résolu de ne conclure la paix, qu'à des conditions qui lui pourroient faire un grand honneur & un grand mérite auprès de son Maître. Quandoeunque Pater Daniel, loco exiustimationis; prouocasset, ad eam, quam ob vilitatem suam in re historica quam primum vobiscum communicabo, Commissionem pro Cardinale Eborum ad Tractandum cum Rege Francorum, rigorosius, ea, quae de Volsi & Angliae Regis animo differit, adfirmare potuisset. Duplex existat praeterea Cardinalis Commissio, vna, de qua iam diximus, altera maioris adhuc momenti est illa, atque dat eidem Cardinali cum quibuscunque tractandi copiam: vnde summa eiusdem hauritur auctoritas ac plenipotencia. Rymerus ipsas adducit commissiones &

C

primam

primam quidem Tom. XIII. A. P. p. m. 749. alteram s. cit. p. 750 quaeque continent haec sunt.

Pro Cardinale Eborum, Commissio ad Tractandum cum Rege Francorum.

*Henricus, Dei gratiâ, Rex Angliae & Franciae, & Dominus Hiberniae, universis & singulis, ad quorum Notitias praesentes Literae pervenerint, Salutem.*

*Cum ex mutuo conventu & colloquio, inter nos, & illustrissimum Principem Franciscum Francorum Regem Fratrem & Consanguineum nostrum Carissimum iam dudum habito & facto, tantus ex parte nostra erga eundem Fratrem nostrum accreverit & coaluerit Amor, ut inter multiplices Curas & Sollicitudines nostras nulla Pectori nostro altius insederit animi affectio, quam ut illa sincera Amicitia firmo Pacis Foedere inter nos inito & concluso, non modò constanter perseveret, sed etiam arctioribus & indissolubilibus Amoris nexibus corroboretur & augeatur,*

*Et quoniam multipharè Nobis luculenter testatum est eundem Fratrem nostrum Carissimum non minus ardere & propensum esse in dicto erga Nos fraterno Amore, sed sumopere etiam cupere dictae Amicitiae nostrae Firmitatem Perseverantiam Incrementum & Augmentum,*

*Hinc est quòd Nos,*

*De Fidelitate, Industria, intima Fiduciâ, & providâ circumspicione Reverendissimi in Christo Patris Thomae, Missionatione Divinâ, Tituli Sanctae Ceciliae trans Tiberim Presbyteri Cardinalis Eboracensis Archiepiscopi & Sanctissimi Domini nostri Leonis Papae Decimi a Latere Legati Regniq[ue] nostri Cancellarii plurimum confidentes,*

*Ipsium nostrum Locumtenentem ac verum & indubitatum*

*Ora-*

Oratorem, Ambassiatorem, Commissarium, Procuratorem, Deputatum, Nupcium specialem atque generalem Facimus Constituimus & Ordinamus per praesentes;

Dantes & Concedentes eidem Locumtenenti nostro, ac quibuscunque ab eo deputandis & substituendis, Tenore praesentium, plenam Potestatem, Facultatem, Auctoritatem ac Mandatum generale ac speciale, pro Nobis & Nomine nostro, cum dicto illustrissimo principe Francisco Francorum Rege, seu eius Oratoribus, Procuratoribus, Commissariis, Ambassiatoribus, Legatis, aut Deputatis quibuscunque ad hoc sufficientem Auctoritatem habentibus, de & super aetioribus Confoederationis nexibus & firmiteribus Amicitiae vinculis inter Nos & dictam Principem in eundis & firmandis, ac pro Statuum, Dignitatum, & Honorum nostrorum conservacione, de Liga & Confoederatione quacunque, sive pro conservacione Personarum, Statuum, Regnorum, Terrarum, Patriarum, & Dominiorum Nostrorum Defensiva, sive contra quemcunque Principem potentatum aut Communitatem Offensiva seu Invasiva etiam in Persona nostra Propria &

Expensis nostris propriis sive Requentium, deque mutuis Auxiliis & Suppetiis inter Nos praestandis & servandis, Tractandi Pacificendi Conveniendi Concordandi & Concludendi,

Pactaque Tractatus & Conventiones quascunque pro Praemissorum Complimento Apponendi Conveniendi & Faciendi,

Nec non de & super huiusmodi Conventis Concordatis & Conclusis Litteras validas & efficaces pro Complimento eorundem pro Parte nostra Tradendi,

Similesque a praesato Fratrem nostro eiusve Procuratoribus,

bus, Oratoribus, Ambassiatoribus, Commissariis, Legatis aut Deputatis Requirendi, Recipiendi & Acceptandi,

Ac Iuramentum in Animam nostram praestandi, quod tenebimus & adimplebimus, realiter & cum effectu, omnia & singula quae in Praemissis & circa ea Nomine nostro dictus Locumtenens noster, vel ab eo Deputati aut Substituti, concordabit, conveniet, iurabit, firmabit & concludent, & quod illa ratificabimus & nullo unquam tempore revocabimus, nec contra ea vel eorum aliquod veniemus,

Simileque Iuramentum a praefato Fratere nostro Carissimo eiusve Oratoribus, Ambassiatoribus, Commissariis, Legatis, aut Deputatis, Exigendi & praestari Videndi,

Ac generaliter omnia & singula Nomine nostro Faciendi, Gerendi, Exercenti & Firmandi cuiuscunque naturae & Importantiae fuerint aut esse poterint, in praedictis & circa ea necessaria & oportuna, & quae tanti Negotii qualitas cum eiusdem circumstantiis dependentibus & adnexis exigat aut requirit, & quae Nobis facere liceret si Praemissis personaliter interessemus, etiamsi Praemissis longe maioris sint, aut talia forent quae de sua natura ad ea perficiendi Mandatum exigunt magis speciale, quam Praesentibus sit expressum; Promittentes bona Fide & in Verbo Regio, Nos Ratum Gratum & Firmum habituros id totum & quidquid per dictum Locumtenentem, Oratorem, Ambassiatorem, Commissarium, Legatum, aut Deputatum nostrum, aut eius Substitutos & Deputatos, Actum, Gestum, Conventum, juratum aut Factum fuerit in Praemissis, & contra ea vel ipsorum aliqua nullo modo contravenire; immo ipsa manutenere, & inviolabiliter observare & per Litteras nostras Patentes confirmare.

In cuius Rei Testimonium praesentibus Litteris nostris  
manu

manu nostrâ signatis, Magnum Sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum in civitate nostra London Vicefimo nono Die Julii, Anno Domini Millefimo Quingentefimo Vicefimo Primo Regni verò Noſtri Tertio Decimo

H E N R Y R.  
Sigillo avulſo.

*Obſervatio.* Volſeiſ auxilio, quod ei ferebat Franciſcus I. obtinebat Purpurati Romanae eccleſiae dignitatem, ſub Titulo: S. Ceciliae trans Tiberim. Conuentu vero ac colloquio illo, cuius mentio iniicitur in *Commiſſione*, reſpicitur ad personale colloquium Franciſci cum Angliae Rege, in loco, cui exinde nomen haefit, *le Camp de Drap d'Or*, ad vrbes Ardrecium & Guineſiam; ex quo conuentu tamen eodem hoc 1520. anno, conueniente Carolo cum Henrico Cantuariae, nullum fructum cepit Franciſcus. Foedus vero eſt illud VI. die Junii a. 1520. initum, vt & XIV. Octobris 1518 iunctum, vtriuſque argumentum ex Aetorum Publicorum Tom. XIII. narrat Rapinus *Hiſt. Angl.* Tom. IV.

Pro eodem Cardinale Commiſſio ad Tractandum cum Quibuſcunque.

Henricus, Dei gratia, Rex Angliae & Franciae & Dominus Hiberniae, univerſis & ſingulis praefentes literas inſpecturis, Salutem

Notum facimus quod nichil Nobis gratius aut carius ſit quam Quietem & Tranſquillitatem, nedum Subditorum noſtrorum Fidei noſtrae & Tutelae commiſſorum, verum etiam, univerſalem omnem Chriſtianorum Pacem provocare & ſtabilire, ac quorumcunque Inſolentiam in contrarium



*Adnitentium, reprimere & refracnare operae precium esse duximus, cum Sanctissimo Domino nostro Leone Papa Decimo Sacrosanctae Romanae Ecclesiae summo Pontifice ac Serenissimis & Potentissimis Principibus, Carolo Dei gratia, Romanorum & Hispaniarum Rege, Imperatore, &c. & Francisco eadem gratia Francorum Rege, Consanguineis nostris Carissimis, ac cum Quibuscunque aliis Regibus & Principibus Christianis, Civitatibus, Potentatibus, Communitatibus, Nationibus & Dominiis firmam Amicitiam, Confoederationem, Ligam & Foedus ad Laudem Dei Omnipotentis & totius populi Christiani Tranquilitatem, inire firmare & concludere ut tandem Reliquum vitae nostrae, quod Deus Omnipotens nobis praestare dignabitur, Servitio Divini Maestatis cui Servire Regnare est impendere possimus,*

*Nos igitur,*

*De Fidelitate, Industria, intima Fiducia & Provida Circumspectione Reverendissimi in Christo Patris Thomae, Miseratione Divina, Tituli S. Ceciliae trans Tiberim Presbyteri Cardinalis Eborum Archiepiscopi & Sanctissimi Domini nostri Leonis Papae Decimi a Latere Legati Regni-que nostri Cancellarii plurimum confidentes,*

*Ipsium nostrum verum & indubitatum Locumtenentem, Oratorem, Ambressiatorum, Legatum, Commissarium, Procuratorem Deputatum & Nuncium Specialem & generalem Facimus Constituimus & Ordinamus per praesentes.*

*Dantes & Concedentes eidem & quibuscunque ab eo deputandis seu Substituendis, Tenore praesentium, Potestatem Facultatem Auctoritatem & Mandatum generale & speciale, ita quod Generalitas Specialitati non deroget, nec e contra pro Nobis & Nomine nostro & Successorum nostrorum,*



rum, cum Sanctiſſimo Domino noſtro Leone Papa decimo,  
& cum praeditis illuſtriſſimis & potentiſſimis Principibus,  
Carolo Dei gratia Romanorum & Hiſpaniorum &c. &  
Franciſco eadem gratia Francorum Regibus Cariffimis &  
Dilectiſſimis Fratribus & Conſanguineis noſtris, ac cum qui-  
buſcunque, aliis Regibus & Principibus Chriſtianis Civi-  
tatibus potentatibus Communitatibus Nationibus & Domi-  
niis vel eorum aliquo ſeu eorum Procuratoribus, Oratori-  
bus, Commiſſariis, Ambaſſatoribus & Deputatis quibus-  
cunque ad hoc ſufficientem poteſtatem & Auctoritatem ha-  
bentibus de & ſuper quacunque Amicitia Conſoederatione  
Unione Foedere & Liga Defenſiva Statuum Regnorum  
Dominiorum Terrarum Patriarum Territoriorum Civi-  
tatum & Oppidorum aliorumque Locorum inpraesentiarum  
per nos vel eorum aliquam poſſeſſorum inter Nos Haeredes  
& Succeſſores noſtros praefatum Sanctiſſimum Dominum  
noſtrum & Cariffimos Conſanguineos noſtros Carolum Ro-  
manorum & Hiſpaniarum & Franciſcum Francorum Re-  
ges praeditos ac caeteros, ut praefertur, Reges & Princi-  
pes Chriſtianos, Civitates Potentates Communitates Na-  
tiones Dominia & eorum Haeredes & Succeſſores, atque  
Regna Terras Patrias Dominia & Loca quaecumque ac  
Subditos, Vaſallos, Conſoederatos, Amicos, & Adhaerentes  
noſtros & eorum quoscumque & quodocumque etiam & De-  
fenſionem Perſonarum, Statuum Regnorum Terrarum Pa-  
triarum Dominiorum noſtrorum vel dictorum Principum  
etiam in Perſona noſtra propria, & expenſis noſtris pro-  
priis ſive Requirentium meunda Tractandi Concedandi,  
Paciſcendi Conveniendi & Concludendi,

Nosque Regna Terras & Dominia noſtra quaecumque ad  
Conventorum & Concluſorum inviolabilem obſervantiam  
Aſtringendi Obligandi, Ac

Ac super huiusmodi Conventis Concordatis & Conclusis cum Dico Sanctissimo Domino nostro, praefatis Consanguineis nostris, Carolo Romanorum & Hispaniarum & Francisco Francorum Regibus & cum praedictis Principibus Christianis, Civitatibus, Communitatibus, Nationibus & Dominiis, seu eorum Oratoribus, quibuscunque Litteras validas & efficaciter pro parte nostra Tradendi,

Aliasque consimilis effectus & vigoris ab ipsis Petendi & Exigendi,

Plenamque praeterea Potestatem Iuramentum in Animam nostram Praestandi, quod tenebimus & adimplebimus realiter & cum effectu omnia & singula quae in praedictis & circa ea Nomine Nostro concordabunt convenient, iurabunt, & concludent, ac quod Illa ratificabimus & nullo unquam tempore revocabimus, nec contra ea vel eorum ali-quod faciemus vel quovis Pacto veniemus,

Simileque Iuramentum a Dico Sanctissimo Domino nostro, Illustrissimis Carolo Romanorum & Hispaniarum, & Francisco Francorum, caeterisque Regibus, Principibus, Potentatibus, Civitatibus, Communitatibus & Dominiis praestari Videndi Petendi & Exigendi,

Ac generaliter omnia & singula Nomine nostro Faciendi, Gerendi, Exigendi & Firmandi, cuiuscumque naturae & importantis fuerint aut esse poterint in praedictis & circa ea necessaria & oportuna & quae tanti Negotii qualitas, cum ejusdem circumstantiis dependentibus & annexis, exigit aut requirit, & quae nobis facere liceat si Praemissis personaliter interessemus, etiam si expressis longè majora sint, aut talia forent quae de sua natura ad ea perficienda Mandatum exigunt magis Speciale quàm Praesentibus sit expressum;

Promit-

*Promittentes bonâ Fide & in Verbo Regio Nos Ratum  
Gratum & Firmum habituros id totum & quicquid per di-  
ctum Locumtinentem, Oratorem, Ambassiatorem, Legatum,  
Commissarium, Procuratorem, Deputatum, & Nuncium, aut  
ejus Deputatos seu Substitutos, Actum Gestum Conventum  
Iuratum aut Factum fuerit in Praemissis, & contra ea vel  
eorum aliqua nullo modo contravenire; immò ipsa manu-  
tenere & inviolabiliter observare ac per nostras Patentes  
Litteras confirmare.*

*In cuius rei Testimonium Praesentibus hiis, Manu no-  
strâ signatis, sigillum Nostrum duximus apponendum.*

*Dat. in civitate nostra London, Vicesimo Nono Die Julii,  
Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Primo,  
Regni verò nostri Tertio decimo*

H E N R Y.

§. V.

Primum quidem sermonem instituebat Volscius cum Nuncio, quo, ut videbatur, voluntatem ac praescripta Papae exploraret. Quae est voluntas, inquit, Domini tui? Ad haec Nuncius respondebat, se nihil habere, nisi a partibus Sancti Patris, partibus, Imperatori puta ac Gallo, adseuerare, ipsum, si pacificatio rata esset, ad aequitatem leges nomen apponere iis velle, & hoc esset negotium a se susceptum. Aseueratio multis modis inepta. His praemissis, belligerantium Cancellarii, Gattinara atque du Pratus quaestionem adferebant tractabantque, sed tempus consumebant meris inquisitionibus & mutuis querelis. Imperatoris ille Gattinara demonstrare nitetur: Regem Galliae res omnes novasse, pacisque esse turbatorem. Premebat potissimum eiusdem in Hispaniam incursionem. Addebat Franciscum, ut

D

manus

manus hostium distineret, Imperatorem inermem adhuc & imparatum, adortum fuisse per ROBERTVM de la Marck, eundemque adeo Robertum expeditionem fecisse in Imperatorem. Fallacia alia aliam trudit. Imperator, consilium silentio tectum repente detexerat, quando Tornacum Vallo circumdederat & oppugnauerat aggere atque operibus aliis. Quid itaque eum inermem fuisse legatus ait? Ex hoc potius luculentissimo facto, nisi Gallus hostilem Imperatoris animum colligere voluisset, sane, nescio, quid dicam. Vndenam haec excusari poterant, quae in manifesto sunt? Quae est interpretatio sensum inferens huic facto contrarium i. e. amicabilem? nulla Cancellarius du Pratus respondebat ad hanc quidem incusationem, Imperatori a Rege nullam ortam fuisse iniuriam, sed hanc eum potius tulisse ab illo, qui de Articulis Nauarraeis noluisse face-re ipsi satis, in quod tamen dedisset fidem suam in Nouiodunensi Tractatu. Vera & iusta obiectio quam repellere omnino non poterant aduersarii, legatus rem haud inficiabatur, id quod absque maximo errore & impudentia paene ne fieri quidem potuisset, Regem suum in Hispaniae finibus vi in hostium inuasisse vrbes; prouocabat potius ad illam rationem, quare Franciscus sibi Imperatorem sumisset aggrediendum. Dicat quis, pactionem illam fuisse coactam, haec vero Iuris sunt. Alteram vero exprobrationem, quoad Robertum Marcanum, mendaciolo quodam euitatam putabat, dicens, Regem non fuisse instigatorem & socium Marcani, quare pernegare audebat, Dominum suum participem esse huius rei, ac vllam in ipso hinc inde haerere aggressoris culpam. Quis vero non videt eum rem mendacio

expe-

expediturum? Legati certe auctoritas non satis ponderis in ea re habebit apud eos qui rem, uti est, iudicare velint. Vterque Cancellarius subnectebat superioribus, Angliae Henricum aulae sui Principis sententiae adferri, ipsique auxilio esse debere, dum pacificis auxilium, pollicitus contententibus vero & pacem turbantibus bellum minatus erat. Assertum & expectatio quam Galli publice tantum gloriari, Imperator vero clanculum sibi arrogare poterat, & partium studium a Londinensi conventionem Volsceique quaestuosam instantia profectum. Tandem tandemque omnia omnium spem fallabant.

§. VI.

Nunc commemorabo, quae posthaec Caleti acciderint. Quinquies colloquia interrumpabant, quibus in disceptationes illas, nihil omnino ad rem facientes tantum inquirerent, quisnam belli esset auctor. Res quam vix ac ne vix quidem decidere poterant, dum nemo pertinaciam suam victam volebat, quae autem nullo fere negotio componi poterit, quamprimum tantum quid hoc loco auctor sit, fuerit determinatum. Auctor sit, qui primum imperum fecit, sine omni dubio Gallus est; sit vero, a quo aditus ianuaque quasi patefacta fuit, Imperator sustinet culpam, qui impedire potuisset ea observando, quae sibi pacti erant: sit denique qui bellum apparavit & impugnationem, uterque pro hoc amplectendus, quamvis hoc casu difficillime dici possit, a quo tempore quisque de eo cogitauerit primum. Breui, re interne considerata, uterque tenetur aggressionis culpa aliqua, externe vero penes Gallum est. Verum enim vero tantidem interest nobis auctorem habere in  
D 2 profes-

professo, ac illis de pace ineunda congregatis. Quae enim vis harum inquisitionum ad pacem? Satis est, de hoc scire, rebus sic stantibus huic incommodo nullum inuentum fuisse remedium, nullosque ad ea descendisse, quibus perpetuam honestamque pacem populis gignere potuissent.

§. VII.

Si verum esset id, quo credulas aures impleant e Gallis quidam, Volseius vtrumque Oratorem, certe dicis causa docuit, haec omnia de quibus sermo erat, tantum magnis rebus moram iniicere, seque ob eiusmodi disceptationes nullo modo adesse: sed nunquam ad liquidum fama perducitur. Tandem aliquando Imperatoris Cancellarius Gattinara inferebat sermonem de duabus propositionibus, quae quidem apertissimo indicio erant, se abhorrere a pace atque adeo omnes de sempiterna pace deposuisse curas, qualem, ne duae quidem istae propositiones, licet fuissent acceptae a Gallis, producere potuissent, dum, id quod extra omnem controuersiam positum est, quoad hos apertissimam continerent de bello, sic loquar, recuperatio rationem: vtpote qui quandocunque iniissent eiusmodi pacem, fecissent, vt tempus nanciscerentur, omnia in bellum consilia eo tutius conuertendi, vt tam pristinis potirentur sedibus, quam nouis data occasione. Idque nemo inficias ibit, qui scit Franciscum I. pacem modo ob metum & infelicia quae augurabantur arma procrastinare voluisse. Ipsaemet propositiones hae erant. Prima spectabat ad Burgundiae Ducatum, quem concessum redditumque cupiebat haereditatis ergo, semet haeredem & recte quidem profitendo. Altera directa erat ad Artesiam & Flan-

Flandriam, quas regiones & comitatus beneficiarii lege possidere volebat, respuens clientelam. Cui rei vero praetendebat Legatus, haud conuenire in Imperatorem clientelae Gallicae titulo obtinere has terras.

Leuissima illa aerrat Daniel. c.1. scribens: *Le Cardinal de Volsi ne laissa pas d'en proposer quilque – uns, qui ne furent agrés ni de part ni d'autre.* Vult dicere, Volsius, se neque ad auctorem belli detegendum, neque ad querelas mouendas conuenisse, aiebat. M. Bellaii haec sunt verba, Liv. I. *Le Marechal de Chabannes, & ses Compagnons se rendirent à Calais, pour traiter les differens des deux maiestez: mais les deputez de la part de l'Empereur demourent toujours sur leur baulteur, demandans des Choses desraisonnables, comme la restitution du Duché de Bourgogne, & d'abolir l'hommage que devoit l'Empereur pour ses pais bas (multae adeo adhuc regiones sub Caroli potestate erant Belgicae huc non spectantes), à la couronne de France, disans n'estre raisonnable qu'un Empereur portast la foy à un Roy de France.* Subiungit adhuc: *A ceste occasion le parlement (sc. de Calais) fut deluisé sans nulle conclusion, & chacun se retira en son lieu.* Erras Bellaii! Tractatus & Transsumtio adest.

§. VIII.

Haec legati ratio pro clientela respuenda, probabiliter fundamenta petit ab Imperatoris maiestate maiore quam illa qua Galliae Rex splendebat. Sed quatenus Carolus Vtus erat beneficiarius, vel erat vt Imperator, vel minus: si prius, eatenus locum habere possit haec ratio, quatenus ratio vera est: cum vero hoc loco posterius considerandum veniat, eadem omni destituitur fundamento, & Legati conclusio hinc inde in meram

abit fallaciam. Vndenam erat vero Carolus Francisci beneficiarius? Vndenam clientela? Nonne huius iure fruebatur vt Flandriae Comes? & quae intercedit tandem inter Flandriae Comitem & Imperatorem coniunctio? nulla vere nisi in Caroli persona. Haec nisi sole meridiano essent clariora, falsum in hac re quam facillime ex ipsa Imperatoris huius Capitulatione, vt dicitur, eiusdemque praecepto potissimum vigesimo tertio, vt & vndecimo, (exstat quod apud *Goldastum* Tom. II. *der Reichs-Satzungen* pag. 181, Inter LIMNAEAS praeterea Capitulationes &c.) colligi perspicique possent. Electores in ea vero praeprimis sibi prospexerunt ac praeceperunt, & expressis quidem verbis, Carolum Imperium non externis i. e. suis controuersis implicare ac eiusmodi bello illigare debere, quod quoque approbavit. An vero a Comite abhorreat, hoc nomine Galliae agnoscere beneficium, non nostri est plurius docere.

Vndecima Lex e *Caroli Vti* Capitulatione haec est. *Wir sollen und woellen uns darzu in Zyt bemelter unser Regierung fridlich und nachburlich gegen den anstossenden und Christlichen Gewaelten halten kein Gezaenck, Foede auch Krieg in oder ausserhalb des Reichs von desselben wegen anfaben oder unternemen, noch einig frembd Kriegsvolk ins Reich fubren, ohne Vorwissen, Rath und Bewilligung deß Reichs-Staendt, zum wenigsten der sechs Churfürsten. Wo wir aber von Reichs wegen, oder das beilige Reich angegriffen und bekriegt würden, alsdann mögen wir uns aller Hülff gebruchen.* Lex vero vigesima tertia, apud alios vigesima quarta, sequentia continet. *Was (wann) auch Leben dem Reich und uns by Zyt en*  
ser



ser Regierung eroeffnet, und lediglichen Himfallen werden, so etwas merklichs ertragen, als Fürstenthumb, Graffschafften, Herrschafften, Staedt, und dergleichen, die sollen und moellen wir ferner niemand verlyben, sunder zu Unterhaltung des Reichs, unser, und ander nachkommenden König und Keyser behalten, inziehen, und incorporieren, biß so lang dasselb Reich wider zu Wesen un Uffneben kompt: Doch uns von wegen aller unser Erbland und sunst merklichen an seinen Rechten und Fryheiten unschädlich.

Haereditatem Burgundicam quod attinet, Dux Burgundiae primus Stirpis secundae, Philippus Audax, anno 1361, cum uxorem duceret Margaretham Malanam, viduam Philippi vltimi Burgundiae Ducis, prima & antiquissima Stirpe, sub domus suae haereditariam redigebat potestatem, Flandriam, Artesiam, Mechliniam, atque Antverpiam, vt & Burgundiacum Ducatum. Ducis Caroli Audacis haeres fuit deinceps eiusdem pronepos Carolus, Imperatorum huius nominis Quintus. Haec & multa fata harum regionum comperies ex *Ponti Huteri* Rerum Burgundicarum Libris VI. qui inter opera eius, quae Louanii prodierunt 1651. fol. *Iac. Mayeri* Commentariis Flandricis Libr. XVII. Antwerp. 1361. fol. *Boxborns* Nederlantfche Historie, Leyden 1649. 4. *Reneri Snoi* de Rebus Barauicis Libri XIII. inter Fr. Swertii Scriptores Belgicos, Francofurti 1620. fol. &c. Praeterea tituli Ducis & Comitris, qui ipsi adscribuntur, quemlibet de hoc vero conuincet, quin immo succincte omnia legere poteris apud *Grotium* in Annalibus & Historiis de Rebus Belgicis, Amstelodami 1657. forma maxima & 1658. forma duodecima, qua posteriore editione nos vtimur, Libro I. p. m. 3. vsque ad 7timam.

De

De Comitibus vero Ducibusque, postquam de veteris Belgiae regimine verba fit, inquit: *Vtrique autem, (i. e. tam illi Belgicae parti, quae penes Gallos, quam illi, quae penes Imperatores Germanos adhaerescebat) praeter ciuitates sacrorum reuerentia dicatas Episcopis cum primum Christianorum nomen inualesceret, quod longius ipsi aberant, praefectos dedere, qui regerent, tuerentur, Comitum, Ducum aut simili vocabulo. — — — His artibus (sc. virtute, Prouincialium studiis, Regum socordia, benefaciendo, in bellis audacia, religione & aequitate) muniti, pro praefectura, perpetuam atque hereditariam ditionem obtinuerunt. (Spp. Duces & Comitès) — — — Inde paulatim exortae seditiones florentes & diuites Populos attriuerunt; donec per multas victorias, assinitates, pactiones plurimae gentes in Burgundionum ditionem concessere. Haecque de Burgundionibus, videamus quomodo Belgicae dominium in Austriacam familiam translatum fuerit. Transfuso hoc fortunae cumulo in Austriacam familiam, quanquam accessione Hispaniae vis increuit, mitia imperantium ingenia, potentiam temperando auxere, qua arte libertas, magis etiam quam, vi, expugnatur. Vnicum denique adhuc subnectere liceat argumentum, quo nostrum assertum, de haereditaria & ab Imperio Romano quasi abscissa Caroli V. possessione Belgica mirifice corroboratur. Ex quo scilicet tempore, Carolus Flandriam Atrebatibusque, ab omni Francorum iure liberarat, id quod victoriae Ticinensis habuerat ille pretium, nullam meditabatur horum Comitatum cum Imperio coniunctionem, adeo ut prouincias potius Hispanicas fecisset eos, nisi seriis cogitationibus, quas noster Grotius ll. cc. recenset, ab eo consilio fuisset deterritus.*

§. IX.

§. IX.

Cancellarius du Pratus reicit, prout plenipotentiarum oportebat sufficienti auctoritate & mandatis instructum, haec, quae proposuerat Gattinara, eas nempe propositiones quibus omnia ad suam Dominique sui refulerat utilitatem. Volseius Cardinalis qui de pace iam desperare videbatur, occasionem adhuc arripiebat, novasque quasdam offerebat condiciones. Duarum potissimum mentionem faciunt; alteram afferunt, quam Galli memoriae prodiderunt eamque maioris momenti, at haud comprobata; alteram, ratamque habitam quae minoris, quamvis non minimi ponderis est. Hic vero magna est inter Historicos contentio, an Tractatum illum verum amplectantur? quidam enim tantum illum, quem haud ratum fecerunt principes, inter quos Daniel, qui illum Volseio auctori attribuit mecum, & Bellaius qui eum exhibet, sunt; omnes vero quantum nobis constat, alterum quem comprobarunt, nominatimque Rapinus, prout quidem uterque exscriptus est, tantummodo admittunt, eumque haud ratificatum impugnare audent. Vnum post alterum exponam, litesque eas hoc a me suppeditato ratificationis discrimine ac temporis ordine, cui narrandi ordo accommodandus, quo quippe maxime certa historia efficitur, componam. Atque haec generatim de duobus Tractatibus dicta sunt. Nunc de singulis videamus singulatim.

§. X.

Commemorabo primum, quae ab Anglis posteritati reserua sunt, videlicet Tractatum, qui ad VII. Articulos redit, Caleti conclusum, quo inprimis obseruandum, illum tam Plenipotentiariorum cautione firmatum

E

iura

iuramentoque, quam a Principibus, vt dicunt, ratificatum fuisse: praecipit scilicet, vt nullis impediti Gallorum aequae ac Belgicae piscatores, qui operam dant haeleibus piscendis, victum suum exercere possint vsque ad Februarii Calendas: vt vterque Princeps aduersarius, iis, qui subiecti cuiusque imperio & obnoxii erant, edicant, ne, quisquis sit, nauem capiat, spoliet, diripiat intra Angliae Regis ditionem; atque in eadem, durante hoc bello vllam vim faciat: vt Nuncius Papalis, vt &, qui Caleti fuerant Plenipotentiarium, cum magno, quo venerant, comitatu, libere ac sine mora discedere queant, nec vereri, necesse habeant fore, vt laedantur huius illiusue exercitibus: tandem vt haec omnia publicis affigantur tabulis, aut sub tubae sono publici iuris fiant. Iis superaddebat arrogantiae alias plenum arbitrium vicarius: Regem Angliae, & semetipsum, eius Plenipotentiarium & summum Locumtenentem, obsides fore polliceri, earum conditionum, quas intra Decem dies subscriptas & ratificatas volebat. Approbabantur a duobus Principibus, qui hostes erant, die II. & XI. Octobris. Veritas ac explicatio huius prioris Transsumtionis nititur splendente illa Actorum Publicorum collectione Rymeri, e cuius Tom. XIII. p. 752. eam ipsam sistere constitui. Rapinus errat, inuehens hoc respectu in Cardinalem, quod semet praestitorem Regi apponat: confitendum est mihi, me in eo nihil vitii deprehendere posse. Quod *ra praestare* attinet, exemplum habemus in promptu. Nonne hoc idem dici potest de Gallis? mihi certe illud *stetur Oratorum iuramento* maioris auctoritatis esse videtur, ac *Comentorum Conseruator* audire. Deinceps postponitne an praepositum nomen? idque est, quod  
fatis

fatis nos docet, omnia referri ad Dominum ſuum, eiusdemque Henrici VIII. poteſtatem ac voluntatem. Praeterea, niſi fallor, meam ſecundum ſententiam & iudicium, hoc omnino conuenit in Plenipotentiarium, certe niſi Domini fiat poſtponitione ſui, dum ipſemet praefens, Regis obtinet locum & perſonam, conſequenter de rebus mediate cauet. Deinde Volſeii ſumma Plenipotencia aut *Commiſſio*, vt dicunt, haud multo ante ſubieſta, vel idem prorfus ac ego, vel nihil omnino, vt mihi videtur, edicit. Omnis denique uſus & fructus, qui ex hoc Tractatu redundabat in Principes, eſt priuatus, in ciues publicus, non omni ex parte reiiciendus: ipſe concludebatur, vt tradunt, ad praefentis belli aſperitatem molliendam. Accipe Tractatus ex Origine.

Tranſumptum Literarum Tractatus, ad Arbitrium Regis (ſcil. Angliae) habiti & concluſi.

*Franciſcus, Dei gratia, Francorum Rex, Mediolani Dux, & Januae Dominus, uniuerſis, praefentes Litteras inſpecturis Salutem.*

*Cum nuper certus Tractatus fuerit Initus concordatus & concluſus inter Oratores cariffimi Fratris & Conſanguinei noſtri Caroli in Regem Romanorum electi & Noſtros, exiſtentes in Oppido, Califinae,*

*Qui quidem Tractatus fuerit per Nos & utrumque noſtrum Ratificatus Confirmatus & Approbatus, ſicut apparere poteſt per Litteras ab utroque Noſtrum alteri traditas,*

*Fuerimusque Requiſiti ex parte Reverendiſſimi in Chriſto Patris Thomae, Miſeratione Diuina, Archiepiſcopi & Cardinalis Eboracenſis, de Latere Legati ac Cariffimi & Dilectiſſimi*

fami Fratris, & Consanguinei nostri Regis Angliae Locumtenentis, cuius Interventu dictus Transactus fuit conclusus, Transumptum unum Litterarum, a dicto Fratre & Consanguineo nostro Electo in Regem Romanorum Nobis traditarum, illi dare sub magno Sigillo cancellariae nostrae, ut plus habeat Auctoritatis & Momenti, cum idem obtinuerit, a dicto Electo in Regem Romanorum,

Notum igitur facimus quod Nos, obtemperare & obsequi volentes dictae Petitioni, Voluimus & Concessimus, Volumusque & Concedimus dictum Transumptum, sub Forma praedicta, expediendum esse,

Cuius Tenor sequitur,

Carolus, Divinã favente Clementiã, Electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, Rex Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Insulae Balarum, Insularum Casariae & Indiarum, ac Terrae Fermae Maris Oceani, ARCHIDUX Austriae, DUX Burgundiae, Brabantiae, Wirtembergiae &c. COMES Flandriae, Tivolis, PALATINUS, Burgundiae &c. PRINCEPS Loeviae &c. LANTGRAVIUS Alsatiae &c. MARCHIO Bargoniac, DOMINUS in Asia & Africa, universis praesentes Litteras inspecturis, Salutem.

Notum facimus quod,

Cum inter Oratores nostros ex una, & Oratores carissimi Fratris nostri Francisci Francorum Regis ex alia Partibus, certi Articuli fuerint concordati Beneplacito nostro & dicti Regis Franciae reservati interveniente Carissimo ac Dilectissimo Amico nostro Thomã, Miseratione Divinã, Tituli S. Ceciliae trans Tiberim Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Archiepiscopo Eboracensi, & Sanctissimi Domini nostri Leonis Papae decimi & Sedis Apostolicae a Latere Legato

gato & Regni Angliae Cancellario & Serenissimi Carissimi & Dilectissimi Fratris Avunculi & Consanguinei nostri Regis Angliae Locumtenente,

Quorum Articulorum Tenor sequitur,

Cum nuper, inter Potentissimos Principes, Carolum Romanorum Imperatorem Electum &c. & Franciscum Francorum Regem Christianissimum, Bellum ingens & asperum subortum sit,

Ratione cuius tam Terram quam Mari frequentes Depredationes & Incurfiones utrinque factae fuerint, in utriusque Principis innocentium Subditorum grave Detrimentum & Damnum intollerabile,

Cumque etiam in praesentiarum Piscandi pro Alecibus tempus oportunum & aptum instet & propter Maritima Bella & Depredationes utrinque Piscatura cessatura videatur, Piscatoribus ipsis sese mari committere, iam ab Hostibus obfesso, non audentibus,

Quo fit ut Piscaturae Commoditas, ad Pauperum levandam Famem a coelesti Numine concessa, cessare hoc Anno omnino debeat, nisi aliter provideatur,

Ideirò dictorum Potentissimorum Principum Oratores, nunc in Oppido Calisiae, hortatu Illustrissimi Regis Angliae, ad Componendas Discordias congregati, Contemplatione eiusdem Regis Angliae, & Interventu Reverendissimi in Christo patris Thomae, Miseratione Divina, Tituli S. Ceciliae trans Tiberim sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Eboracensis Archiepiscopi & Sanctissimi Domini nostri Leonis Papae Decimi & Sedis Apostolicae de latere Legati & Regni Angliae Cancellarii, & praefati Regis Angliae Locumtenentis, Interveniente etiam Nuncio Sanctissimi Domini nostri, ad Quaerendum Malis supradictis & ad Asperitatem praesentis

*Belli molliendam, Convenerunt, Concordarunt, & Concluserunt articulatim prout sequitur.*

Articul. I. IMPRIMIS, *Conventum & Conclsum est, quod Subditi utriusque Principis tam Caroli Romanorum Imperatoris Eleſti quam Francisci Francorum Regis Chriſtianiſſimi in Mari Piſcantes aut Piſcationem exercentes absque aliquâ Incurſione, Depraedatione, Moleſtatione, Vexatione aut Impedimento quocunq;e hinc ad & per totum Menſem Januarii proximè venturum tutè & liberè ubique in Mari piſcari Aleces & omne genus Piſcium capere poſſint & valeant; Bello, ut praefertur, inter eoſdem Principes Terrâ & Mari exorto non obſtante: Ita quod neutrius dictorum Principum Subditi eiſdem Piſcatoribus aut Piſcationem exercentibus aut eorum Navibus, Victualibus, Armamentis, Retibus & Piſcibus, aut aliis eorum bonis quibuſcunq;e ad Piſcationem ſine fraude pertinentibus, dicto tempore durante, aliquam Depraedationem, Vim, Violentiam, Moleſtationem, aut Vexationem quovis modo inferant aut inferre temptent vel praefumant; & ſi quid in contrarium per aliquem alterius dictorum Principum ſubditum Actum Geſtum vel Altemptatum fuerit, cuiuſcunq;e Status Gradus aut Conditionis extiterit, ille ſic contraveniens, poſtquam de dictâ Depraedatione, Vi, Violentiâ, Moleſtatione, Vexatione, Impedimento, & Damno, Cancellario ſeu Concilio Principis, cuius fuerit talis Praedo ſubditus, ſeu Officiariis & Judicibus Ordinariis eiſdem Locis, cuius Jurisdictioni ſubjicietur, per Juramentum Dampnum paſſi conſtiterit, tenebitur immediatè omne Dampnum & Intereſſè absque omni ſtrèpitu & figurâ Judicii Parti laeſae reſtituere; alterius Arbitrio eiſdem Cancellarii ſeu Concilii aut Judicum ordinariorum corporaliter pro qualitate Delicti puniendus.*

Arti.



Artic. II. ITEM, Conventum & Conclufum est, quod neutrius Principum praedictorum Gentes Armorum Pedites vel Equites aut Subditi quicunque, cuiuscunque Status Gradus aut Conditionis existant, Incurfiones, Depraedationes, Incendia, Rapinas, aut aliquam Violentiam seu Vim hostilem facere, Pecora abigere, aut Homines captivare possint, & valeant, intra Limites, Fines, Territoria, & Iurisdictiones Regis Angliae citra mare existentia, nec Victualia intercipere, aut Commeatus ad Oppidum Calistiae deferre volentes prohibere seu spoliare, aut eis Molestiam aliquam inferre, Commeatus intercipere, capere, captivare, aut quovis modo molestare.

Artic. III. ITEM, Conventum & Conclufum est quod, dicto Bello durante, nullus Subditus Principum Praedictorum intra Portus & sinus Maris quoscunque, Flumina, Hostia Fluminum, Gurgites, Aquas dulces, Stationes Navium, & praesertim Stationem vulgariter vocatam les Dubnes, aut alia loca maritima quaecunque Iurisdictioni Regis Angliae Subiecta, aliquam Navem Mercatoriam Onerariam Armatam vel non Armatam Onustam vel Vacuam, cuiuscunque Quantitatis aut Oneris fuerit, de quacunque Natione eadem navis extiterit, capere spoliare deripere seu Merces, Bona, Victualia, aut Armamenta quaecunque ab eisdem Navibus aut earundem Nautis, auferre, nec eisdem Vim, Violentiam, aut Molestationem aliquam inferre possit aut debeat, sed quod liceat Navibus & Nautis quibuscunque intra Loca supraddicta libere tutè & secure morari manere & ad Anchoram stare, absque cuiuscunque alterius Navis Armatae, seu non Armatae dictorum Principum aut alicuius eorumdem Subditae violentiâ infestatione seu molestia.

Artic. IV. ITEM, Conventum & Conclufum est, quod Nuncius & Orator Sanctissimi Domini nostri, ac Oratores

CAESAREI, eorumque Nuncii, Cursores, Servitores, Familiars & Ministri & qui eos Comitati sunt Honoris gratiâ, cum ad hunc Locum venirent, de quibus stetur Juramento ipsorum Oratorum, durante hoc Conventu, & quamdiu erunt cum ipso Reverendissimo Cardinali in hoc Oppido Calistiae congregati, & etiam dum hinc recedere voluerint, & per quindecim Dies post Conventus Dissolutionem, cum omnibus & singulis eorum Bonis, Sarcinis, Impedimentis & Suppellectili habeant & habere debeant liberum & securum Transitum Accessum & Regressum cum Litteris vel sine Litteris ex hoc oppido Calistiae usque ad Oppidum & Locum in quo Caesarea Majestas adesse & consistere comperietur & ab ipso Caesare usque ad hoc oppidum Calistiae absque eo quod intra hos Limites liceat eidem Francorum Regi, ejusve Capitaneis, Militibus, Stipendiariis, aut Subditis quibuscunque, per quasvis incursiones fiendas quempiam ex hiis capere, intercipere, detinere, molestare, inquietare, seu impedire; Dum tamen recto Itinere incedant per Loca Territoria & Dominia ipsius Imperatoris Electi, nec divertant ad Loca Territoria & Dominia ipsius Regis Christianissimi: & vice versa Oratores Christianissimi Regis, eorumque Nuncii, Cursores, Servitores, Familiars & Ministri, & qui eos comitati sunt Honoris gratiâ, cum ad hunc Locum venirent, de quibus etiam stetur Juramento ipsorum Oratorum, durante dicto conventu in hoc Oppido Calistiae, & per Quindecim Dies post conventus Dissolutionem, & etiam in eorum, seu alicujus eorum Recessu cum Omnibus & singulis eorum Bonis, Sarcinis, Impedimentis & suppellectili habeant & habere debeant liberum & securum Transitum Accessum & Regressum cum Litteris & sine Litteris ex hoc Oppido Calistiae usque ad Oppidum & Locum in quo Rex Christianissimus adesse & consistere comperietur, & abs ipso Rege Christianissimo

nissimo usque ad hoc Oppidum Calisiae, absque eo quod intra hos Limites liceat eidem Electo Imperatori, eiusve Capitaneis, Militibus, Stipendiariis, aut Subditis quibuscunque, per quasvis IncurSIONES fiendas, Quempiam ex his capere, intercipere, detinere, aut quovismodo molestare, inquietare seu impedire; Dùm tamen recto itinere incedant per Loca Territoria & Dominia ipsius Regis Christianissimi, nec divertant ad Loca Territoria & Dominia ipsius Caroli Romanarum Imperatoris Electi; & si quispiam Subditorum, Capitaneorum, Militum, seu Stipendiariorum alterius ipsorum Principum, quisquam in contrarium Praemissorum egerit, molitus fuerit seu temptaverit, teneatur illius Dominus, cuius Subditus, Capitaneus, Miles, seu Stipendiarius fuerit, ad omnem Requisitionem Dampnum passum, medio illius Juramento Justificantis Capturam seu Dampnum, omnia resarciri facere, & ad primum Statum reducere & reduci facere per se, vel per illorum Officiarios & Judices Ordinarios, omni morâ & contradictione cessantibus.

Artic. V. ITEM, quia nonnullae Naves, de Regno & Dominio Regis Angliae existentes, nuper a Subditis tam Romanorum Imperatoris Electi, quàm Francorum Regis Christianissimi Captae Depraedatae & Spoliatae asseruntur, & Mercatores & Nautae eorundem tanquam Captivi abducti, uti ex Anglorum Querelis refertur, Nos igitur Oratores Principum praedictorum, cupientes ne de caetero Subditi dicti Regis Angliae sic, ut praesertur, molestentur, Promittimus per Praesentes eidem Regi Angliae & Reverendissimo Domino Cardinali Eboracensi (quid ad hanc dicis promissionem Rapine, nonne arrogantia inesse tibi videtur!) Legato antedicto, eiusdem Regis Angliae Locumtenenti Promissionem nostram acceptanti, quod Naves de Regno & Dominio dicti

F

Regis

Regis Angliae existentes tutè liberè & securè possint tam per Mare navigare quàm in Portus & Sinus quoscunque, Gurgites, Flumina, Hostia Fluminum, aut Stationes Navium quascunque utriusque dictorum Principum seu alterius eorundem cum suis Mercibus & Oneribus appellare, manere, in Anchoris stare, morari, atque inde quodocunque eis libuerit cum suis Mercibus & Oneribus liberè abire recedere absque alterutrius dictorum Principum seu Subditorum eorundem Arrestatione, Molestatione, Depredatione, Vexatione, aut Impedimento quocunque, solvendo tamen jura solita, Proviso etiam quòd Naucleri, Mercatores & alii quicunque Angli existentes, in dictis Navibus abstinebunt ab omni fraude, & nichil molientur adversus dictos Principes.

Artic. VI. ITEM. Conventum & Conclusum est, quòd Serenissimus REX ANGLIAE & dictus Reverendissimus Cardinalis & Legatus ejus Locumtenens, cuius Medio praesens Capitulatio conclusa exstitit, hujusmodi Conventorum fuerint Conservatores, tamquam ad id per ambas Portas electi & assumpti.

Artic. VII. ITEM. Conventum & Conclusum est, quòd uterque Principum praedictorum intra Decem Dies a Datae praesentium praesentes Articulos & omnia & singula in eis contenta per Litteras suas Patentes Magno Sigillo suo sigillatas & Manibus suis Subscriptas Ratificabit & Confirmabit.

Artic. VIII. ITEM. Conventum & Conclusum est, quòd Articuli supradicti in omnibus Portibus & Locis Maritimis dictorum Principum Caroli Romanorum Imperatoris Electi & Francisci Francorum Regis Christianissimi, post Ratificationem hinc inde secutam, per Edicta & Proclamata, insinuantur declarentur & publicentur, intra Dies Quindecim in Flan-

*Flandriâ, Brabantia, Hollandia, & Zelandia, Bononia, Piccardia, Normannia & Britania, in aliis vero Regionibus & Patriis remotioribus eiusdem Principis Subditis fiet dicta Publicatio infra alios Viginti Dies post dictam primam Publicationem, immediatè sequentes, sub Comminatione, &c. Et quòd Nuncius, Lator praesentium Articulorum, pro dicta Publicatione faciendâ, & curandâ, ut fiat, habebit saluum Conductum oportunum.*

(Haec quae sequuntur sunt Imperatoris Caroli.)

*Visis igitur dictis Articulis, cupientes gratificare dicto Cardinali Carissimo ac Dilectissimo Amico nostro, illos & unumquemque eorum Ratificamus Laudamus & Approbamus,*

*Quocirca per Praesentes Mandamus omnibus Officiariis & Iusticiariis nostris, Admiralais, Viceadmiraldis, Marscalcis, Capitaneis, Conductoribus Exercituum nostrorum, Militibus, ac omnibus & singulis Subditis nostris, tam in Mari quàm in terra existentibus, quatenus Contenta in praedictis Articulis facient indilatè observari, Puniendo illorum Infractores ut Juris fuerit & rationis.*

*Et nè aliquis Contentorum in praedictis Articulis Ignorantiam praetendere valeat, Volumus, quòd sono Tubae in Locis consuetis publicentur.*

*In quorum Fidem & Testimonium his Praesentibus, Manu nostrâ signatis, Sigillum nostrum duximus apponendum.*

*Datum in Oppido nostro Montis Haemoniae, Die Secunda Mensis Octobris, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Vicesimo primo, Regnorum verò nostrorum (videlicet) Romano-*

*manorum & Hungariae &c. Tertio, & Hispaniarum &c. Sexto*

Sic Signatum,

CHARLES

Per Imperatorem

Lalemand.

Sub Sigillo de Cerâ Rubeâ.

(Haec sunt Francisci Imi.)

*In cuius Rei Testimonium huic praesenti Transumpto  
nostrostrum fecimus apponi Sigillum.*

*Datum Calisiae, Die undecimâ Mensis Octobris, Anno  
Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Primo & Regni  
nostri (scil. in Gallia) Septimo.*

per Regem ad Relationem vestram.

Collatio facta cum Originali.

HEDOYN.

Sub Magno Sigillo de Cerâ albâ a duplici caudâ pendente.

*Observatio.* Nexus eorum, quae continet hoc monu-  
mentum sequens est. Post duas demum Litteras Fran-  
cisci & Caroli sequuntur momenta Tractatum, quae bre-  
vi prolusione praemissa VIII. Articulis absoluntur, quos,  
utriusque Principis Caroli primum deinceps & Galli ra-  
tificatio excipit. Neminem praeterea ab hac, quam fe-  
cimus rei conuenienter, in VIII. Articulos distributione  
habebimus alienum. Litterae vero illae sectione III. in  
epistola Galli, ab utroque belligerantium alteri traditae,  
an sint illae, quae ad meam notitiam venerunt sub Titu-  
lo: *Exemplaria Litterarum, quibus & Galliarum Rex,  
Franciscus, ab Aduersariorum maledictis defenditur &  
controuerfiarum causat, ex quibus bella hodie inter ipsum*  
&

Et Carolum Vtum Imperatorem exarserunt, explicantur. Paris. ex officina Rober. Stephani 1537. 4to; an saltem eorum ex numero quaedam huc spectantes, pro certo quidem adfirmare nolo, quamuis auctor aut collector & editor partibus Francisci fauere videatur.

§. XI.

Huc inferenda veniunt quaedam de belli euentibus, quae sequentia illustrent, & nonnulla certiora reddunt. Imperator expugnabat Mosamagum militesque vagabantur sub Campania. Obsidionis periculis liberabantur Maceriae. Franciscus I. multas vrbes & primo quidem impetu capiebat in Belgia, occasionem amittens hostem ad internecionem vincendi. Stabuli Comitum de Bourbon abalienabat a rebus suis. Expeditionem Nauarraeam denuo ordiebatur ab oppugnatione Fontis rapidi sub Bonniucto XVIII. Octobris. In Italia vero erat status plane miserimus respectu Galli.

De Rebus Hispanicis & Fontis rapidi occupatione, haec sunt Ferrerasi Tom VIII. p. 563. *Le Roi de France informé de la défaire de son Armée près de Pampulune, & piqué du point d'honneur, en remit sur pied une autre assez nombreuse, pour retourner conquerir la Navarre. Il la fit partir sous le Commandement de Guillaume Bonniuet, Grand Amiral de France, qui entra dans Ronceveaux, (Sur la fin de Septembre, pendant que les Régens de Castille, étoient à Burgos, à prendre des mesures pour aller réduire Toléde entièrement. SANDOVAL.) prit les Forteresses du Pennoz & de Maya, & marcha vers Pampelune. Scachant que le Viceroi avoit une forte Guarnison dans cette Ville, le Général François comprit qu'il seroit difficile de s'en emparer; c'est pourquoi il alla avec son Armée assié-*

ger Fontarabie. Il attaquä vivement la Place, & quoique Diéque de Vera, qui en étoit Gouverneur, & la Garnison tinssent ferme durant quelque tems, ils furent obligés de capituler au commencement d'Octobre, au bout de douze jours de tranchée ouverte, à condition que les Troupes sortiroient avec armes & bagages, & que les Habitans pourroient se retirer où ils voudroient, ou rester; ce qui fut exécuté.

Rerum in Italia statum circa hoc tempus brevissime ob oculos ponit Spalatinus in Leonis vita p.17. Kurz darnach als der Keiser schon Meyland und ganz Lombardia on das Schloß Meyland und die Stadt Cremona eingerummen hatten, stieß diesen Papsst ein Fieber an, daran er bey zehen Tagen krank war, und also endlich an andern Tag des Decembers — gestorben &c.

## §. XII.

Nunc orationis filumnectere incipiam, ea suppetando, quae in praecedentibus dicta sunt de altero quodam Tractatu haud ratificato. Illum non ratificatum, ratificationes certe haud traditas fuisse, absque vlla controuersia est, dum clara de hac re adsunt Bellaii verba. Auctorem vero Volseium, id quod orationis argumento, Cardinalis plenipotentiae, & Regis erga eundem animo conuenientissimum est, amplector. De tempore vero vt dicam, certus quidem dies determinari nequit, at tantum certo sciri potest, quantum sufficit ad declarandum, haec acta fuisse post Caletensem demum pacificationem, quae quippe finem habuerat vndecimo Octobris. Cum enim Fontis rapidi occupatio sit de duodenicesimo eiusdem mensis die, post huius vero commemorationem demum Bellaius hunc afferat Tractatum, nullum dubium est,



est, quin verum sit, quod efficere volui. Quod vero Volsseus dum haec agerentur, vt mihi videtur, adhuc fuerit Caleti, quo quippe loco ille commoratus est, vsque dum venerit Bruggam, praeterea alii de hoc Tractatu nihil audire velint, propositiones denique maioris certe momenti esse videantur; propterea hunc quoque Tractatum & hoc quidem ordine pertractabo. Volsseus mittebat exemplum quoddam, quo pacis conditiones ab ipsomet excogitatae erant, ad vtrumque principem Carolum puta V. & Galliae Franciscum, quarum quidem Litterarum in missione utebatur Angliae Magnate Chambellano atque Coenobiarcha S. Iohannis. Huius exempli lege Imperatorem oportebat suos e Mediolano remouere, iisdemque signum dare receptui, qui Duce Liquio Tornacum in Flandria iam per quatuor aut quinque menses in obsidione tenebant. Franciscus e contra I. suum a Belgio, vt & e Pyrenaeis montibus deducere debebat exercitum. De controuersia ceterum ea, in quam vrbes vocabant & sedes expugnatas, nondum sublara Rex Angliae Henricus VIII. constituere debebat. Quod me attinet, haud video, quomodo quod existerint eiusmodi propositiones in dubium vocari, aut eadem negari possint, quarum exacta mihi fidem facit relatio. Ipsaemet condiciones Francisco tunc temporis proponebantur, cum copias quam proxime ad hostem adduceret, vt Tornacum liberaret obsidione. Sunt, qui narrent, easdem ipsi non displicuisse, quin immo ipsum, vt omnia pacis impedimenta superaret industria, progressum cum exercitu in aliud tempus distulisse & inter Scaldim & Scarpam mansisse cum eo, quam ob rem ipsi irreparabile quoque damnum adscribunt. Haec vero

vero de antecedente acceptatione, eaque quae nunc proferam de consequente reuocatione accipienda atque interpretanda sunt. Iisdem conditionibus uti volebat, cum, dum comprobationes tradendae erant, eum classis suae praefectus, nomine Guilielmus Bonniuerus de Fontis rapidi occupatione certior fecisset, iisdemque nunciis se Sebastiani Fanum in Regis potestatem breui tempore redacturum iactasset, quibus quippe occupationibus Hispanum fortassis moueri posse cogitabat, ut ipsi Neapolitanum regnum cum Nauarraeo concederet. Iis interea non obstantibus comprobasset, dumne Imperator Fontis rapidi nuperrime occupati acriter institisset restatrationi, cuius quidem postulacionis Caesareae rationem quidam, e Gattinarae, Cancellarii sui, consilio, quod secutum fuisse Imperatorem dicunt, petere allaborant, quam tamen in laeto quoque illo nuncio, qui ipsi erat allatus, semper rerum potitum fuisse in Italia, inuenisse mihi cum *Daniele* persuadeo, quamuis, illum Cancellarii equidem oratione confirmatum esse non negem. Vide P. M. Angleriam Epistola 748.

Nunc illum testem primarium ipsum producam, qui est Bellaius. Dicit ille Memorabilium lib. I. p. 36. *Pendant ce temps arriuerent les Ambassadeurs du Roy d'Angleterre, (id quod de immediata ablegatione & male quidem interpretatur RAPIN vs, quod vero vitium haud commisisset, quando cogitasset, Regem in hac omni re fere nihil immediate fecisse, Volseiumque secum habuisse in comitatu, quos ablegare poterat, Legatorum nomine haud indignos) qui estoient le Millort Chamberlan, & le grand Prieur de sanct Jean, pour traicter la pais des deux Princes: lesquels tant travaillerent qu'il fut accordé que l'Empereur*

pereur retireroit son armée de devant Tournay, la laissant en liberté aussi retireroit l'armée qu'il avoit au Duché de Milan & autres pais, & le Roy feroit le semblable, & s'il y avoit quelque place en differend, le jugement en seroit n'is sur le Roy d'Angleterre. — — Les choses estant ainsi accordées, furent cause que le Roy rompit son entreprise de poursuivre sa fortune, & que tout chacun pensoit la paix estre faite: mais sur ces entrefaites vindrent nouvelles que l'Admiral de Bonnivet avoit pris Fontarabie, ville de Biscaye appartenant à l'Empereur. Au moyen dequoi le dit Empereur ne voulut iurer lesdits traittez, que Fontarabie ne fust renduë: parquoi tout ce qui avoit esté traité, attendi que le Roy ne la voulut vendre, fut declare nul, & la guerre comme devant. In ceteris, quae haec sequuntur, receptum Regis ob oculos ponit auctor.

§. XIII.

Iam tempus est PAULI RAPINI de hoc posteriore Tractatu examinare sententiam quam Historiae suae Anglicae Tom. IV. pag. m. 184. tradit. Post breuem enim harum pacis conditionum, at minus exactam circumstantiarum, e quibus ablegationem illam HENRICI immediatam credit, enarrationem, easdem durante Caletensi conuentu propositas fuisse, dicit, quod quidem posterius concedo, quandocunque *conuentus ille* nullam includat pacificationem propriam, quae quippe iamdum erat ad finem perducta per praecedentia, ut mihi tamen hoc vocabulum accipere videtur *Rapinus*, qui vere in hac omni re diiudicanda fluctuat, dum in sequentibus de Tractatu eodem tempore ratificato minus accurate loquitur, post quasdam vero obiectiunculas rem concedere videtur quoad Galliae Regem, quem tamen fallacius circum-

circumscriptum ac deceptum esse putat: quamvis omnem eiusmodi pacis propositionum existentiam in dubium vocare atque adeo tollere sub disceptationis initium cupiat. Rem ipsam confutandam aggreditur nimia potissimum confidentia in *Acta Publica* motus, dicens, Bellaiio, clarissimo huic historico, suam secundum sententiam falsã fuisse delata, cui quippe, ea, quam de belli operationibus habebat, scientia accurata, harum rerum, de quibus inter se agebant principes, defuisse. Iam primum ab ipso obiicitur Rapino, in ipsa Celeb. Rymeri *Act. Publ.* collectione altum de iis propositionibus esse silentium, quamvis ea inesset minoris adhuc momenti Transsumptio. Ad hanc obiectionem observandum venit *primum*, Rapinum commiscere pacis propositiones haud ratificatas ratificata cum Transsumptione, quae quidem comparatio & substitutio nullo modo locum habet, dum haec maiori iure, quam illa desiderabitur; *deinceps* vero ipsum praecipitanter in iis reiiciendis conclusisse videbis, quamprimum in artis formam ea rediges, ubi sequentem propositionem habes: Quaecunque relatio, huius illiusue collectionis, in qua de rebus huic vel illi rei adiacentibus expostulatur, stabiliri nequit documento, illa nunquam pro vera amplecti potest; subsumis illam respondere Actis Publicis, atque huius enarrationis vanitatem exinde elicis. Quisnam est, qui iis praecipitantiam inesse non videt? Tum demum vero huiusmodi obiectioni nihil contradici posset, quandocumque omnium documentorum, huc quidem pertinentium prae se ferret commemorationem haec collectio, qualem ipsemet tamen collector non gloriatus est, cui quippe solummodo fuit institutum, ea fideliter tradendi, quae arbitrio

bitrio eius permissa erant, vbi admittebatur ad perquirendum sanctius tabularium, quod Annae Reginae mandato peculiari factum est: aut quando eiusdem monumenti necessaria descriptio alio modo adferri posset, id quod ne fieri quidem potest, cum ab altera parte adeo ostendi queat, in ea collectione, quaedam & maiori adhuc iure desiderari, quae Anglicae rei sunt; sic nusquam legitur in Actis Publicis Transactio Volsæii cum Imperatore Bruggae XXIV. d. Nouemb. ab ipso vi plenipotentiae contra Gallum transfumta, quam tamen *transfumatam* successuque exoptato peractam nullo modo Rapinus reiiicit, etiam vt neminem testem producat praeter HERBERTVM (*Life and reign of Henry VIII.*) perinde, quasi BELLAIIO fidei melioris illum habeat. Tertio autem id, quod de temporis computatione loquitur Rapinus, si vno tempore eadem transfumta fuisse affumit, contrarium patet e supra dictis.

Deinde obiicit Rapinus, in hac ipsa collectione, nihil omnino dici de Legatorum ex Anglia ablegatione siue *Commissione*, aut Litteris in fidem publicam datis, (vt interpretor *μετάφραση* germanicam, quae mihi de hac Historia est ad manus,) neque ad Imperatorem neque ad Galliae Regem circa hoc quidem tempus, quae tamen Transumptionem praecedat necesse est. Potest vero huius quoque rei omissionis exemplum supponi. Henricus enim VIII. cum videret electionem in Romanorum Regem turbatam, id ipsum huius maiestatis obtinendae ipsi iniiciebat cupiditatem, qui quidem cum spes cum teneret fallax, *Richardum Pace* in comitiales diem mittebat legatum, ea, propter procrastinatum eiusdem *Richardum* aduentum euauit. Nonne autem maiori iure

hanc expectant lectores in Actis Publicis *commissionem*, quae res Anglicas proprie attinet, quam illam, quae ad reiectas pacis propositiones corroborandas faciat; quaeque ad eas Volseii commissiones plenipotentiasque recte referri potest! Quid dicis, Rapine? Nonne prouocas ad *Herbertum*, cui, me quidem obseruatore, adhuc *Spalatinus* adiungi poterit testis? Quid hinc est, quare Bellaii enarrationem pro vera amplecti dubitas, visu edoctus, haud omnia inesse Actis tuis. Deinde vero ablegatos quoque adducit Bellaius, & ad Imperatorem Chambellanus, qui Angliae erat Magnas, ad Galliae Regem vero S. Iohannis Coenobiarcha fuisse dicitur.

Tertio iis propositionibus acceptionis probabilitatem vindicari posse negat aduersarius noster, & hoc quidem eam potissimum ob causam, quod Imperator plus nocuisset sibi quam profuisset, si exercitum suum e ducatu Mediolanensi reuocasset; idem enim hoc fuisset ac Gallis ad omnem illam terram liberum aditum relinquere, atque spem omnem abicere, Tornacum, quae vrbs, iam iam, omni calamitatum genere bellique clade pressa, adnuebat deditionem, fide accipiendi. Hac controuersia sedanda, illud quod per petitionem stabilire cupit Rapius, reiicitur, *res cedere* & *res reuocare* uocabulis eandem vim subiici, quae longe a se diuersa uerba sunt. Vnde nam enim arbitrium Regis ob oculos suos ponitur? Quare controuersiam, quae, dum de omnibus quoad occupatas sedes constituere non possent, aleretur, diuidendam sumere debebat summus ille arbiter Henricus? Porro Gallus quidem in regnum suum se recipere debebat; quomodo igitur regiones tueri poterat, praesidia collocando in externis oppidis? Quod denique Tornacum attinet, eiusdemque occupationem, eiusmodi damnum,

num, Anglo mediatore optime potuisset reparari & Imperatori in integrum restitui.

Praeterea, inquit Rapinus, vidimus & sequentibus luculentius adhuc ostendi poterit, *Henricum* nunquam suscepisse has cogitationes, qui quippe longe fuit alienissimus, ab eo, ut Imperatorem, eiusmodi ut pareret conditionibus, imperio, vi, metu adigeret. Quam omnem cogitationem quilibet ex animo dimittet, qui scit, *Henrico* haec immediate tribui non posse, & si auctor fuisset ille ipse, eiusmodi damnum ab ipso quoque reparari potuisse.

His omnibus superaddit opponens, si quis existimationem, ut & summam laudem, in qua apud Carolum & Franciscum fuit Cardinalis, cogitaret, nullo modo comprehendi posse, quomodo absque illius conscientia & cura ad pacem venire potuissent illi principes, aut quomodo aliorum in hac re usi essent ministerio, & imprimis cum ipsemet Caleni fuisset Cardinalis sub nomine mediatoris. Quæritur, vndenam habes Rapine *Volsæum* haec omnia ignorasse? Mirandum sane, quid causæ fuerit, quare haec cogitans non descenderit *Rapinus* ad *Volsæum* auctorem.

Sexto secum perspicue pugnat Rapinus leuissima illa, quam adfert, coniectura praecedentibus collata, esse videlicet posse, ut eiusmodi condiciones propositae sint. (En! ipsemet condiciones, haud pactum aut Transfusionem contendere allaborat.) Addit, Franciscum, at obcoecatam tamen, cupiditate ad easdem accedere, easque pro veris sincerisque amplecti, quin immo, ut locum haberent, sibi persuadere potuisse. Qualis est tibi conditio Rapine, proposita, an accepta, an sequenda? de altera certe nihil credebatur Gallus, perbene sciens, se

ad eam non descendisse, primam ipsemet concedo, tertiam vero adhuc futuram ille absque omni oculorum ludibrio, ut hac utar locutione, adsumere poterat. Nonne damnum sibi reparatum habebat per ipsarum propositionum contenta arbitrio Regis Angliæ? Ratio interea, quare excæcatum putat Gallum Rapinus, in iis est, quod confociatio Henrici, haud multo post detecta, ac eius qui pro hoc principe administrabat Volseii cum Imperatore, quæ quidem abstrusas Francisco parabat insidias, eidem nondum innotuit. His concessis, nulla eiusdem ignorantia vis est ad nostra. Quid impedit, quo minus hæc vera sint. Nonne ipsemet hostes, qui adhuc aequali fere Marte secum decertauerant, in iis latebris, fundamenta ponere sibi persuadere poterant, hostem consopitum eo melius aliquando vincendi, atque in ipsa quiete data bella parare ac victorias.

Ad ultimum subnectit, eandem famam probabiliter delatam fuisse ad Galliam atque aulam, breui Galliam. Quaero vero ex te Rapine, quare de iis rebus Regi ac ministris nullam accuratorem cognitionem tribuere velis? Potest quidem fama honorabilior fuisse re ipsa, at fama crescit tandem eundo.

§. XIV.

Restat, ut de belli operationibus pauca dicam. Accepta in deditionem Fontarabia, nullus erat belli finis, expugnatio urbium atque castella Heddini, Bapalmae, & Buccinii, quarum priores duae sub praefectu regionis Picardiae, posterior ditionis Flandricae est, quæque conterminae sunt meridiem versus, quin etiam locorum quorundam praeter illa ignobiliorum, quæ Stabuli Comite belli administratore in Regis semet committebant fidem, ea inquam, erat, qua, quæ quidem amiserant, reparata



rata iactabant Galli. Sic ſub annuae expeditionis ſine reſtabat Gallorum, qua ſimul pacem faciendi ſpes quaeque euaneſcebat. Sit ut ſit. Belli calamitate undiquaque premebantur gentes, exercitiſque in hiberna dimiſſis, vtraque pars regiones nullas ueri poterat a graſſaturis, quibus fines, non eſſe poterat, ne vaſtarentur. Plenius vero haec omnia perſpicias ex illo diario, quod inſcribitur, *Mémoires de Louiſe de Savoie, duchefſe d'Angoulême* (quae erat mater Regis Franciſci Primi); in domus Sabaudienſis Hiſtoria, quae auctore *Samuele Guichenono* prouidit, in qua quippe commentatione legi poſſunt omnia, quae in Gallica aula ab anno 1498. uſque ad annum 1521. contigerunt. Haecque ſunt, quae coronidem imponant meae tractationi, qui ardentiffimus opto, ut omnes, qui hac noſtra aetate bella inter ſe gerunt principes, placabiles ſedatisque animis, eadem ſecum componant. Interim candidè Lector!

*Si quid nouiſti rectius iſtis; non timor  
Candidus imperti; ſi non, his credere mecum.*

#### Errata Operarum typogr.

- Pag. 5. linea 29. l. *Ital. Bel.* p. 7. l. 12. *altos. l. alias.* p. 11. l. 14. *ergo l. erga*  
 l. 18. *diligendo l. deligendo.* p. 14. l. 20. *Roli l. Roi.* p. 15. l. 23. *deſiderari l. deſiderare.* p. 17. lin. 16. *overtement. l. ouuertement.* p. 19. lin. vlt. *Similesque l. ſimilesque.* p. 21. l. penult. *provocare. l. procurare.* p. 22. l. 24. *Ambreſſiatorum l. Ambaſſiatorem.* p. 23. l. 3. *Hiſpaniorum l. Hiſpaniarum.* l. 15. *aliquam l. aliquem.* l. 24. *eoram. l. eorum.* *Deſenſionem l. Deſenſionem.* l. 30. *Nosque l. Noſque.* p. 24. l. 7. *efficacer l. efficaciſ.* *porte l. parte.* p. 26. *nulla add. (C)* p. 27. *pollicius add. (C)* p. 28. l. vlt. l. *proſtando.* p. 29. l. 6. *quique l. quelque.* p. 30. l. 9. l. *quod exſtat. l. 10. inter.* p. 31. l. 1. *leg. Heiſſallen. l. 7. leg. Uſſenbmen l. 13. leg. e prima.* p. 33. lin. *ante penult. VII. l. VIII.* p. 36. l. 15. *leg. Balearum.* p. 38. l. 20. *leg. Arrempraram.* p. 40. l. 23. *leg. venient.* pag. 42. l. 18. *Portus leg. Partes.* pag. 43. l. 10. *leg. gratificare.* p. 44. l. 15. *leg. facta.* pag. 48. linea ante penultima. *indignos, adde (C)* Cetera neminem morabuunt. Dolentis hanc commentationem tam parum diligentibus operis commiſſam eſſe.

HONO.

## HONORATISSIMO CANDIDATO

S. D.

P R A E S E S.

**S**I quis forsā mirābitur, CANDIDATE HONORATISSIME, me; hominem rerum historicarum ignarissimum, in hac dissertatione praesidis officium in me suscepisse, is non cogitet, me ambire laudem historici, quam egregiam & magni aestimandam omnino esse puto. Non sane is ego sum, qui arroganter studeat apparere, quod non est; sed modeste laudem hominis quaero, qui satisfacere officiis suis laborat. Quum enim, munus professoris historiarum publicum & ordinarium in nostra academia, nondum cuiquam clementissime demandatum sit, id quod vehementer doleo: aut defendenda erat a me tua dissertatio inauguralis historica, aut, ut aliam materiam tractares, persuadendus eras. Sed malui temeritatis & vanitatis suspicioni occasionem praebere, quam specimen publicum impedire, ex quo appareret, dari etiam in nostra academia iuvenes, qui historiae, nobili eruditionis parti, primariam operam nauant. Haec de me ipso dixisse sufficiant. Iam ad TE me conuerto. Scriptum hoc integrum, quantum quantum est, TVVM est. Quare eo facilius, inter omnes gnaros atque aequos rerum historicarum arbitros, iudicium de TE & profectibus TVIS, in eruditione & historia factis, constabit. Adprobasti ordini philosophorum in Fridericiana Regia amplissimo, in examine solemnium,

lemni, conatus eximios & amplificandi eruditionem TVAM, & aliis eadem inferuendi. Ideo non sine laude lubenter decreuit, vt solemniter TIBI conferam summos in philosophia honores. Fungar igitur hoc officio non sine magna voluptate, habita a TE disputatione inaugurali, vt ardor TVVS & discendi & fructus verae eruditionis ferendi vberimos, maius & nobilius acquirat incitamentum. Quod reliquum est, non ex animo solum & sincere gratulor TIBI hos honores; sed etiam me, TVI rerumque TVARVM studiosissimum, amicitiae TVAE vt habeas commendatum, quid quod commendatissimum, enixe rogo. Dedi in Friedericiana Regia d. VIII. Mart. MDCCLXII.

## NOBILISSIMO SEELANDO

IO. AVG. NOESSELT

S.

Quam ad TE datam hic vides epistolam, eius non ea est ratio atque consilium vt, quod vsu fere venit in huius generis descriptionibus, laudes TVAS celebret, a quibus eo magis mihi abstinendum esse reor, quod ex ipsa disputatione TVA, qui volent, satis possint de TVO vel ingenio vel doctrina iudicare; sed TIBI obsecuturus, qui me aduersarium in publico consuetu elegisti, hoc quidquid est adposui, vt testarer, me istud officium suscipere non inuitum, TIBIQUE ex animo gratulari de dignitate ea, quam in TE conferendam amplissimum Philosophorum academiae nostrae

H



nostrae collegium decreuit. Faxit Deus O. M., vt qui per omne tempus apud nos consumtum, maxima animi contentione atque diligentia nunquam intermissa omnibus bonis litteris operam dedisti, earum per omnem vitam fructus referas vberimos, eamque, quod TE sentire scio, summam sapientiam putes, quae omnia ad Dei honorem, animi immortalis nostri salutem, aliorumque commoda referat. De me sic habeto, nihil, quantum possim, quo seruire commodis TVIS queam, vnquam intermissurum esse. Vale. Dab. Halae, die VIII. Martii c10ccclxii.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE  
HONORVM PHILOSOPHICORVM  
CANDIDATO

S. P. D.

IO. FRID. EBERT.

Verae sincerissimaeque amicitiae, quae in mutuo quodam praecipuoque inest amore, qui quidem a grauibz oritur causis, apertissimum mihi exferere videntur indicium ii, HONORATISSIME CANDIDATE! qui omnem eandemque idoneam arripiunt occasionem, quo animo sint ostendendi, quique eorundem, quos amant, commodis lacrantur & ornamentis. Cum nunc & inter nos arctissimae atque incorruptae adeo amicitiae ratio intercessit; quid hinc esset, quare non declararem me haud experientem esse TVAE de capeffendis in Philosophia summis honoris-

noribus laetitiaē hodiernae. Quod attinet vero specimen, quod eruditorum examini submisisti, illud doctissimorum atque elegantissimorum hominum puncta laturum esse nullus dubito; dum omnem TVAM in bonis artibus, praesertim iis, quae ad historica spectant, positam fuisse industriam luculentissime declarat. Faxit Deus T. O. M. ut ex ingenii TVI dotibus, & exquisita, qua ipsemet iam dudum profeci doctrina, vberimus in Rempublicam litterariam redundet fructus, quod quidem obrinebitur quocumque TIBI scientiis quamplurimis lumen accenderit concesserit vitam ac valetudinem rectam. Id ipsum praeterea obtinendum, ut & usu & consuetudine confirmata amicitia TVA, causa est, cur summum Numen ardentissimis implorem precibus, ut TE ab omnibus calamitatum generibus longe alienissimum velit. A TE vero, CANDIDATE HONORATISSIME! id vnum & peto & spero, ut TIBI absenti quoque memoriam mei, nisi indignus visus fuero, commendatissimam habeas, atque haud dubites, quin ea qua par est obseruantia, animum TVI studiosissimum, quousque vixero sanctissime conseruaturus sim. Cura ut valeas. Dabam Halae d. VIII. Mart. 1752.

---

## MONSIEUR,

Il est juste, que je vous fasse connoître la part, que je prens à l'honneur, qui vous arrive à présent. L'amitié, & l'invitation obligeante, dont vous avés bien voulu m'honorer, sont les motifs assez puissans, pour

H 2

m'en-



m'engager à le faire. Permettés moi, MONSIEUR, de vous souhailer toute forte de bonheur, dans un temps, où vous allés recueillir les fruits de vos travaux, & de la diligence, avec laquelle vous vous êtes appliqué à vos études. Je n'ai point le dessein, de faire ici votre eloge. L'ouvrage, que vous avés mis au jour; & que vous soutiendrez publiquement, prouve suffisamment votre erudition. Je souhaite, que Dieu vous accompagne par tout, & repande ses benedictions sur vos travaux. Mais je ne puis m'empêcher de vous remoiigner la douleur, que va me causer votre éloignement. Tout ce, qui me console, c'est l'esperance, où je suis, que ni le temps, ni l'absence n'altéreront jamais les bons sentimens, que vous avés à mon égard. Allés donc, MONSIEUR, au lieu de votre destination, mes voeux vous y accompagneront, allés & recevrés l'honneur qu'on vous y prépare. Ainsi vivés content, MONSIEUR, vivés toujours content, & ressouvenés vous de celui, qui se fait gloire de s'appeller



MONSIEUR,

Votres très humble Serviteurs

JEAN GUILLEAUME REINHARD.

de Colberg.



Tabula generis eorum in Gallia Regum, qui ex Bor-  
bonii Stirpe progenerati sunt:  
quomodo progenitorem colunt Henricum Albretanum.

Henricus II. Albretanus  
Rex Navarraeus

Ad §. Diff. II.

|  
Ioanna Albretana nubit  
Antonio Borbonio, quo ipso Rex  
Navarraeus salutatur 1555.

|  
HENRICUS IV. REX GALLIAE  
& Navarraeus

|  
LUDOVICUS XIII. REX GALLIAE

|  
LUDOVICUS XIV. REX GALLIAE

|  
LUDOVICUS DELPHINUS  
cuius marita princeps erat Maria Anna  
BAVARIA, obit 1690.



|  
*Ludovicus Dux Burgundiae, Delphinus,*  
denubit in domum Viet. Amadei Ducis Allobrogici, cuius  
filiam principem uxorem habuit Mariam Adelheidam,  
obit 18. Febr. 1712.

|  
LUDOVICUS XV. REX GALLIAE  
sibi iunxit matrimonio Mariam Leszinskam

|  
*Ludovicus Delphinus* natus 4. Sept. 1729.





Tabula, ex qua Caroli V. hereditas Belgica  
perspici potest.

Schema successionis tale est.

Ad §. Dist. VIII.

Joannes III. Pacificus

<p style="text-align: center;">Joanna</p> <hr style="width: 80%; margin: 0 auto;"/> <p>Ioannes Bonus Rex Galliae.</p> <p style="text-align: center;"> </p> <p>PHILIPPUS AUDAX i. Dux Burgundiae, stirpis secundae, sibi matrimo- nio iunxit</p>	<p style="text-align: center;">Margaretha, cuius maritus ultimus Comes Flandriae Ludovicus III.</p> <hr style="width: 80%; margin: 0 auto;"/> <p>MARGARETHAM MALANAM, viduam PHILIPPI, <i>ultimi</i> Ducis Burgundiaci, &amp; stirpis quidem primae.</p>
---	--

ANTONIUS BURGUNDIUS

|

DUX PHILIPPUS Bonus

|

CAROLUS AUDAX,  
ultimus Dux Burgundiae stirpis II.

|

MAXIMILIANUS Imp. prioris filiam,  
MARIAM sibi primum iunxit matrimonio,  
ex quo

|

PHILIPPUS, cui Castiliae Regi  
e Ioanna *Ferdinandi Catholicæ* filia unica & haerede  
natus est

|

CAROLUS Vtus.

Tabula ex parte Caroli V. Imperatoris Belgicae  
partibus  
Germaniae Netherlandicae etc.

Abbas VII. Johannes III. Paderbornensis

Johannes Rex Castellae  
Philippus Comes Flandriae  
Philippus Comes Arundel  
Philippus Comes Hollandiae

MARGARETHA REGINA  
vidua Philippi  
Philippus Comes Arundel  
Philippus Comes Hollandiae

AVTORES

dux emilius foras

carolus v. imperator  
vidua philippae reginae

maximilianus imperator  
margaretha regina vidua philippi  
carolus v.

philippus rex castellae  
philippus comes arundel

carolus v.




ULB Halle 3  
002 187 574



sb







507

10 VI

DISSERTATIO INAUGVRALIS HISTORICA  
DE  
**CALETENSI PACIFICATIONE**  
ANNI MDXXI.

1762,3.

QVAM  
SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
**AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS**  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
**GEORGIO FRIDERICO MEIER,**  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI,  
ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. EX-DECANO  
SPECTATISSIMO,  
PRAECEPTORE OPTIMO, PATRONO AETERNVM COLENDO,  
PRO  
**SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS**  
ET PRIVILEGIIS SOLEMNI RITV ACCEPTANDIS  
IN AVDITORIO PVBLICO,  
AD D. XVI. MART. ANNO MDCCLXII.  
DEFENDET  
AVCTOR  
**GEORGIVS CHRISTIANVS SEELAND**  
E POMERANIA COLBERGENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.